

1731 7/3 10  
OBSERVATIONES  
DE  
PROPRIETATE  
REI · DONATAE  
AD EVM QVI QVASI MVTVAM ACCEPIT  
TRANSEVNTE

AD L·XVIII· D· DE R· C· ET L·XXXVI· D· DE A· R· D

QVAS  
PRAESIDE  
CHRISTOPH· LVDOVICO CRELLIO  
I·V·D· IVRIS NAT· ET GENTIVM ITEMQVE POET  
PROF· PVBL· ORDINARIO  
IN AUDITORIO · ICTORVM  
DEFENDET  
GOTTLOB HENRICVS KVNTZEL  
DRESDENSIS

VITEMBERGAE AD D· APRIL· A Q S P E cLo CCXXXI

OB ARGVMENTI RARITATEM ATQVE PRAESTANTIAM  
DENVO TYPIS EXPRESSA

FRANCOFFRTI ET LIPSIAE

1757

## OBSEVATIONS

PROPRIETATE  
REI-DONATAE  
AD EAM Q[UA]D G[RA]D[US] MULTAV[er]A ACCERIT  
TRINSEVNT



OMNIS DE ERRORE PERPLEXA ESSE TRACTATIO

VIDETVR

**S**vvs cuique ERROR attributus est: tantoque magis sumus in lubrico, atque in proclive propendemus, quanto minus in compendio priuato, & contrahendis administrandisque negotiis, uersamur. Sed ne isti quidem certe, qui, quod ait Comicus, satis ad quaestum sapiunt, & foro uti didicerunt, sine ulla offensione elabuntur; aut cauere possunt, ne suo quodam aliquando ERRORE capiantur: in illis negotiis maxime, quae MVTVA VOLUNTATE, & CONSENSV peraguntur: quae, nisi inter contra-hentes de re tota conueniat, ut, quid alter fenserit, ab altero intelligatur; inutilia sunt, atque distractantur. Nihil TVL-LIVS <sup>a)</sup> hominum sensu & VOLUNTATE OBSCVRIVS esse arbitratur: quae, cum in ipsum alterius animum descendere, illumque introspicere non possis, ex rebus quibusdam externis, ex oculorum auriumque indicio, cognoscenda est. Quorum fere signorum dubia atque ambigua interpretatio uidetur: multum cupiditate animi, & studio, peccatur: facile spe, & desiderio, facile timore nostro, & solitudine, decipimur, ut, quae ipsi optamus, eadem nobiscum etiam

A 2

alios

a) Cic. pro L. Muraena Cap. XXXIV.



alios sentire, uel, quae metuimus, in quamcunque partem imperus animum conuerterit, ea evenire, atque ab aliis indicari, arbitremur: praeterea ipsa sensuum incertitudo subinde uel diligentissimo imponit: interdum etiam hi, cum quibus nobis negotium est, suo **ERRORE** nos seducunt, aut sententiam animi, atque uoluntatem, signis obscuris exprimunt, rem totam in loco incerto, atque ambiguo, relinquent. Ex quibus rebus solet illud evenire, ut ex nostro ingenio sententiam aliorum metiamur, & quae a nobis cogitata sunt, eadem & aliis, cum quibus paciscimur, uenisse in mentem arbitremur; neque unquam magis proclives simus in **ERROREM**, quam cum de **ALIORVM VOLVNTATE**, & consensu, iudicamus. Quapropter uix exerceri uidetas a priuatis lites, aut res arduas in contentione, & controuersia, uersari, in quibus non aduersarius, se **ERRORE** quodam deceptum, aut **IGNORANTIA** sublapsum, illaque re turbatum, distractumque, esse consensum, conqueratur. Sed iacturam, quam ex **ERRORE** passi sumus, tanto gravius ferimus, quanto certius uel ab aduersario, cui indignamur, in illum nos inductos, uel, quod aequa nobis ingratum est, nostra culpa, atque incuria prolapsos, arbitramur. Hinc si magnum **GROTIVM**,<sup>a)</sup> atque item etiam **V. C. NICOLAVM GUNDLINGIVM**<sup>b)</sup> audias, tota de **ERRORE** perplexa tractatio uidetur, quae dubios, incertosque, quose consilio expedituri sint, JCros, & fere in praeципio haerentes, mirifice perturbat. Ne ueteres quidem illi qitorum dilectas nobis reliquias **TRIBONIANI** iniuria seruauit, grave illud de **ERRORE** argumentum, data opera, & de industria, tractarunt, aut omnem illam doctrinam, quae in una cognitione posita est, ad caput suum refulerunt; sed rem totam in infinitas quaestiones dispartiti sunt, & quasi

a) **GROT.** de I. B. & P. Lib. II. Cap. XI. 6.

b) **GUNDLINGIAN.** P. XXXIII. p. 207.



passim, atque omnia alia agentes, cum de contractibus, aut  
delictis exponerent, si qua species, **ERRORIS** uitio corru-  
pta, incidisset, subinde etiam de **ERRORE** monuerunt.  
Quapropter omnes in magna uarietate, & dissensione, con-  
stituti sunt, ut eorum molestum videatur sententias annu-  
merare: & difficile sit, quae ab illis strictim, passimque  
prodita fuerunt, ad unum caput reuocare, aut certo defi-  
nire, quam perpetuo regulam in respondendo sequi debea-  
mus. Haec incertitudo omnes fere negotiorum partes oc-  
cupauit. Alii, ne de **CORPORE** quidem consentiunt, &  
negotium impeditum respondentibus proponunt: alii in  
**MATERIA**, & **QUALITATE RERVM**, de quibus contra-  
hunc, decipiuntur: alii, ut sua quemque cupiditas, atque  
incuria, fecellit, in alio **ERRORE**, atque **IGNORANTIA**,  
uersantur: de quibus rebus magna ueterum dissensione est  
certatum. Sed illa grauior disceptatio uidetur, cum ne de  
ipso quidem **NEGOTIO**, quod gerunt, in unam sententiam  
conueniunt, sed in **TITULO**, & **CAVSSA**, ex qua res  
petitur, dissentiant, idque ipsum, quod res gestas maxime  
continet, ignorant: quod solet in primis euenire, cum de  
**TRANSFERENDIS DOMINIIS** tractatur. Adeo appetentes  
sunt multi rerum quaerendarum, ut uelle se illas sibi habere,  
omnes norint; qua **CAVSSA**, quo iure illas accipient, in  
paruo ponant discrimine: ipsi qui sint, ut ait **CATULLVS**  
noster, quid agant, atque moliantur? nesciant: magis de re  
tenenda, quam de **TITULO** & **CAVSSA** transferendi do-  
minii laborent. Quae si diiudicari non possit; necesse est,  
omnia difficulti **ERRORE** implicari, multis dissensionibus  
peruerti.

## II

IVLIANI ATQVE VPIANI DISENSIO DE ERRORE  
EXPOSITVR  
EIVSMODI species aliquando IVLIANVM, atque VL-  
PIANAT



PIANVM, JCtos exercebat. Proponebatur: DONANDI  
 ANIMO dominum nummos tradidisse, quos alter, deceptus  
 quodam errore, QVASI MVTOS accepit, ueram causam,  
 ignorauit. Dubitatum, AN NVMMI ACCIPIENTIS  
 FACTI SINT, cuius ERROR prohibuerat, ne uterque in  
 eundem titulum, ex quo transferri dominium possit, con-  
 sentirent. Sed cum donationis, tum mutui causa sufficeret,  
 ut nummorum traditorum dominium transiteret, si in idem  
 negotium utriusque sententia & voluntas concurrisset. IVL-  
 LIANO L. XXXVI. D. de A. R. D. non uisus est accipien-  
 tis ERROR, ne proprietas ad eum transferretur, prohibere.  
 Audiamus IVLIANVM: „CVM IN CORPVS QVIDEM,  
 „QVOD TRADITVR, CONSENTIAMVS, IN CAVSSIS  
 „VERO DISSENTIAMVS: NON ANIMADVERTO, CVR  
 „INEFFICAX SIT TRADITIO. Veluti si ego credam, me  
 „ex testamento tibi obligatum esse, ut fundum tradam, tu  
 „existimes, ex stipulatu tibi eum deberi. Nam ET SI PE-  
 „CVNIAM NVMERATAM TIBI TRADAM, DONANDI  
 „GRATIA, TV EAM, QVASI CREDITAM, ACCIPIAS;  
 „CONSTAT, PROPRIETATEM AD TE TRANSIRE, NEC  
 „IMPEDIMENTO ESSE, QVOD CIRCA CAVSAM DAN-  
 „DI, ATQUE ACCIPIENDI, DISSENSERIMVS. HABES  
 uerba IVLIANI. Sed VLPIANVS, secutus iuris regulam,  
 quam & IAVOLENS L.LV. D. de O. & A. & POMPO-  
 NIVS L.LVII. D. ed. tit. proponunt: „In omnibus nego-  
 „tiis contrahendis, siue bona fide sint, siue non sint, si error  
 „aliquis interueniat, ut aliud sentiat, qui emit, aliud, qui  
 „cum his contrahit, nihil ualere illorum, quae acta sunt, &  
 „maxime in illis rebus, quae dominium transferunt, con-  
 „currere debere ex utraque parte affectum contrahentium,  
 „& siue ea uenditio, siue donatio fuerit, siue quelibet alia  
 „causa contrahendi, nisi animus utriusque consentiat, illud,  
 „quod inchoatum est, non perfici, putauit: atque ex illa  
 ratione

\* \* \* \* \*

ratione L. XVIII. *D. de R. C.* nummos, ut donatos, aut mu-  
tuos, accipienti non adquiri, hinc extantes vindicari potius,  
consumptos condici, condicentem uero doli mali exceptione  
repelli posse arbitratus est. „SI EGO, inquit, PECVNIA  
„TIBI QVASI DONATVRVS DEDERO, TV QVASI MV-  
„TVAM ACCIPIAS, IVLIANVS SCRIBIT, DONATIONEM  
„NON ESSE: SED AN MVTVA SIT, VIDENDVM. ET  
„PVTO: NEC MVTVAM ESSE: MAGISQUE NVMMOS  
„ACCIPIENTIS NON FIERI, CVM ALIA OPINIONE  
„ACCEPERIT. QVARE SI EOS CONSVMPSERIT, LICET  
„CONDICIONE TENEATVR, TAMEN DOLI EXCE-  
„PTIONE VTI POTERIT; QVIA SECUNDVM VOLVN-  
„TATEM DANTIS NVMMI SVNT CONSVMPTI. Sed  
ne, temere VLPIANVM, aut forte fortuna in illam mentem  
incidisse, existimes, illud prohibet, quod tam grauis ipsi  
haec causa esse uisa est, ut se in illa etiam a IVLIANO seiun-  
geret, atque in partem aduersam digredieretur, desereretque  
auctoritatem maximi & amicissimi JCti, cui VLPIANVS  
tantum non omnia tribuere solebat: cuius sententiam, si cum  
aliis committeretur, habere maximam humanitatem, L. VII.  
§. 1. *D. de Dol. mal. except.* & sibi probabilem L. I. §. 2. *D. pro Dot.* & benignam, ac uerissimam, uideri, L. IV. *D. de Diuort.* L. XV. *D. de Hered. insti.* iusque, quo res publica  
utatur, continere, L. IX. §. 1. *D. de Stip. seru.* fatebatur:  
quem etiam, cum de ERRORE, de quo iam cum IVLIANO  
controversiam exercet, disputatum esset, omnium maxime  
sequebatur, L. XV. *D. de Iurisd.* L. II. pr. *D. de Iud.* e cu-  
iis responsis sibi auctoritatem & opinionem ueritatis maxi-  
mam quaerebat: ex quo sua fere omnia, tanquam ex fonte,  
repetebat, quod L. II. §. 2. *D. Solut. matr.* L. XI. *D. Quod*  
*Fals. Tut.* L. I. §. 17. *D. de Magistr. conuen.* L. X. pr. *D. de*  
*Curat.* L. VI. §. 3. *D. de Hered. insti.* & omnia fere ex libris  
ad Sabinum, & Edictum, fragmenta indicant: ut ex IVLI-  
ANO,

\* \* \* \* \*

ANO, quasi ex tripode, ius dixisse **VLPIANVS** uideatur; & quo denique uix unquam, nisi cum a multis aliis antea notatus esset **IVLIANVS**, atque excusatione defendi non posset, discedere audebat, L. XVI. D. de *Iudic.* L. XLII. pr. D. de *A. uel O. Her.* cui denique alias non, nisi modeste, & subdubitanter controversiam mouebat: L. XXXVII. D. de *R. uind.* cui se uni omnium maxime addixisse credebatur. Ex quibus rebus intelligitur, omnino non ferendam **VLPIANO** **IVLIANI** sententiam, quam tanto studio impugnat, sed enormem, atque incongruam, uideri. Neque tamen **IVLIANVS** rem negligentius tractauit; sed, quasi subductis rationibus omnibus, cum singula, quae cogitari possent, excusisset: **NON ANIMADVERTIT**; nihil omnino rationis deprehendit, **CVR INEFFICAX SIT TRADITIO, QVAMVIS IN CAVSSIS INTER NOS DISSENTIAMVS.** Vides JCtos, quasi palmam, ad quam concurrendum sit, in medio positam haberent, studio non pepercisse; sed cum multa grauiiter, & probabiliter, in utramque sententiam dici possent, magna de illo argumento contentione certauisse. Non ignoro, quae a Viris, etiam magnis, atque nobilibus, dicuntur, ut **VLPIANVM** cum **IVLIANO** in consensionem, & gratiam, reducant. **V. C. GERARDVS NOODT**<sup>a)</sup> parum abest, quin desperet. Operae pretium existimo, rem repetere ab origine: ut, quid uterque senserit, & in quam partem concedendum esse uideatur, statuamus.

### III

QVID INTER ERROREM, DUBITATIONEM, ET IGNORANTIAM, DISCRIMINIS INTERSIT

PRIMO igitur, quis sit ille **ERROR**, qui impedimento **CONSENSI** esse possit, uideamus. Si ueteres JCtos audias, uix est, quod **ERROREM** ab **IGNORANTIA** seiungas.

<sup>a)</sup> **GERARD. NOODT** Comment. ad Dig. L. XII. Tit. I. p. 274.

gas. PAVLLVS certe L.I. §. 1. & 2. D. de *Iur. & facti ignor.*  
 Eum, qui NESCIAT, quod scriptis heredibus bonorum  
 possessionem Praetor promisisset, quique IGNORET, ex suc-  
 cessorio Edicto bonorum possessionem sibi competere; illum  
 in iure ERRARE: qui sciat ex quibus parentibus ortus sit,  
 sed iura cognitionis se habere NESCIAT, in iuris ERRORE  
 uersari d. L. I. §. 1. qui NESCIAT, bonorum possessionis  
 tempus praeteriisse, illum in facto ERRARE, d. L. I. §. 3.  
 qui NESCIAT, esse testamenti tabulas, FACTI ERRORE  
 decipi, respondet L.I. §. 4. D. d. t. Idem PAVLLVS L.XV.  
 §. 1. D. de *Contrab. Empt.* IGNORANTIAM, quae non in  
 supinum hominem caderet, prodest emptori arbitratur;  
 sed AFRICANVS L. XI. D. Pro *Empt.* illud de ERRORE  
 interpretatus est: & quae de IGNORANTIA emporis uul-  
 go tradita sint, haec tenus uera esse affirmat: si empator nul-  
 lam iustum caussam habeat ERRORIS. Vtque intelligas,  
 quod JCTis familiare sit, ERROREM cum IGNORANTIA  
 miscere: etiam POMPONIVS nihil inter utrumque uitium  
 discriminis agnoscit; sed, quam L. XXVIII. D. de *Lib. caus.*  
 IGNORANTIAM uoluntati & CONSENSVI obstatre tradi-  
 difset, illud L. LVII. D. de *O. & A.* de ERRORE affirma-  
 uit, qui negotia omnia, quae consensu continentur, pertur-  
 bare uideatur. DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS, Au-  
 gusti L. VI. & VII. C. de *Iur. & facti ignor.* facti IGNO-  
 RANTIAM, ERROREM facti appellant, ut eodem iure  
 censi *ERROREM & IGNORANTIAM*, & utriusque usum  
 nominis ueteribus promiscuum fuisse, cogi oscamus. Quae  
 quamvis uera sint, nolim tamen existimes, tam pingui uete-  
 res ingenio fuisse, ut non perspicerint, non nihil inter  
 IGNORANTIAM, & ERROREM intercedere: & posse qui-  
 dem IGNORANTIAM esse sine ERRORE; quamvis delabi  
 in ERROREM, nemo possit, qui non in IGNORATIONE  
 ueritatis, atque aliqua incertitudine, uersetur. Illud enim  
 cognoscere



cognouisse JCtos, uel ex solo VLPIANO intelligitur, qui L. XV. D. de Iurisd. „Nihil tam contrarium esse consensui affirmat, quam ERROREM, qui IMPERITIAM detegat. Seiungit igitur imperitiam, atque IGNORATIONEM veritatis, ab ERRORE; sed ERROREM ex IMPERITIA enasci arbitratur. Enim uero ita a natura comparati sumus, ut fere de externis rebus, nisi ex sensuum indicio, ferre sententiam, aut certi quidquam affirmare, non possimus. Sed si sensibus illud, de quo ferendum est iudicium, penitus non cognoscas, diceris in IGNORANTIA uersari. Haec interdum quiescet, & uacat culpa, dum animum a curatione, atque administratione rerum, quas sensibus non perspexit, uacuum relinquit: nihil molitur: quae ad se non pertinent, illa non attingit; sed excutienda, & exquirienda, aliis relinquit. Haec enim IGNORANTIA ab ERRORE separatur. Sed si, qui semel incitatus est, sustinere se non potest, & in proclive pellitur, dicisque sententiam, cum rem penitus non perspicerit, atque ad illa, quae obseruari poterant, animum omnino non attendit; ille & uerum IGNORAT, & praeterea in ERROREM prolabitur: atque OPINIONE FALSA appetitus, contra indicium sensuum, iudicat. Ita cum IGNORATIONE ERROR coniungitur, qui culpa carere non uideatur: cum inuestiganda omnia fuissent, & sensus adhibendi in consilium, priusquam de rebus iudicium ferremus. Sed inuenit error excusationem, si, uel rerum natura, quo minus illam totam perspiceremus, prohibebat, sed ipsa tamen necessitas, ut aliquam opinionem sequeremur, imperabat: uel ita res posita in aprico, & manifesta esse, uidebatur, ut nulla esset suspicio, latere quidquam, quod nos in ERROREM induceret, quodque non totum a nobis cognosceretur. Quem ERROREM PAVLLVS L. XV. §. I. D. de Contr. empt. PROBABILEM, „qui in supinum hominem non cadat, & AFRICANVS „ERROREM, cuius quis iustum caussam habeat, appellauerunt. Sed in CONTRAHENDIS NEGOTIIS, si quid illarum

\* \* \* \* \*

illarum rerum, circa quas uersantur contrahentes, & quae, nisi ex certis indiciis, recte cognosci non possunt, ignorabis; IGNORANTIA fere abit in ERROREM, & non solum uacat cognitione ueritatis, sed etiam FALSA OPINIONE animum perturbat. Neque enim ad rem gerendam, aut ad paciscendum, fere accedimus, quin de illis rebus, de quibus deliberandum, atque constituendum est, concipiamus aliquid animo, aut fingamus, & opinione quadam ad capiendum de re consilium subinde adducamur. Quapropter, si, quod uerum est, omnino nescias, necesse est plerunque, te fingere aliquid, & nonnihil falsi concipere, atque a uero aberrare. Vt: si rem meam mihi ignorant, uendideris, quam speciem L.XV. §. 2. D. de Contr. empt. PAVLLVS proposuit, non tantum ignorabam, rem meam esse, quam emebam; sed etiam alienam, & tuam esse, per ERROREM arbitrabar. Neque cogitare poteram, rem non esse alienam, nisi ex certis indiciis perspexerim, eius proprietatem mihi fuisse adquisitam. Solet enim fere mens humana ex illis, quae sensibus se percepisse credit, iudicium formare. Quare consequitur, quod, si aliquid sensu non cognoueris, illud aut abesse singas, aut ingenii virtute aliud quidquam, in eius rei, quam sensibus te percepisse credis, locum substituas. Vt: si rem, quam emis, tuam esse non cognoueris, non solum illud, quod uerum est, ignoras; sed etiam, uel dominium tibi non adquisitum esse credis, uel illud etiam ad venditorem putas pertinere: quod utrumque erroneum est, & a ueritate alienum. Omnis igitur IGNORANTIA, quan  
nos in contractis negotiis deceptos esse, conqueri possimus, uidetur coniuncta esse cum ERRORE. Quamuis enim interdum illud, quod antea per ERROREM, & IGNORANTIAM singebas, postea uerum esse forte fortuna deprehendas; tamen eatenus errasti, quod rem, quam nondum cognoueras, ueram esse existimabas. Praeterea ne scies quidem,



quod illud antea per **ERROREM** pro uero habueris, quod postea uerum esse deprehendis: uel certe conqueri non poteris de **ERRORE**, qui te non seduxit. Ut: si ab initio, rem omnino tuam esse, quamuis ex nulla ratione idonea, putaueris, & postea deprehendas, esse tuam; nunquam **IGNORANTIAM**, & **ERROREM** accusabis. Videtur igitur **IGNORANTIA**, de qua item quis mouere possit, etiam **ERROREM** continere. Et haec ratio adduxit ueteres JCtos, ut promiscue **IGNORANTIAM**, & **ERROREM** appellarent. Huius enim iuris disciplina, maxime in actionibus hominum, & negotiis, quae in controversiam adducuntur, diiudicandis, occupatur. In quibus, nec **ERROR**, qui non coniunctus sit cum **IGNORANTIA**, nec **IGNORANTIA**, quae **ERRORE** careat, potest obuenire. Praeterea, ubi de **ERRORE** tractatur in negotiis, de **EFFECTV ERRORIS** quaeritur, & an **VOLVNTATI**, & **CONSENSVI** obstare videatur. Sed apparet, & **IGNORANTIAM**, & **ERROREM** interdum, eadem ratione prohibere, ne illud serio appetas, quod antea, cum ueram rei naturam ignorares, aut **FALSA OPINIONE** deceptus, a uero aberrares, uelle videbaris. Hinc non solum secundum **VLPIANVM L. XVIII. D. de R. C.** qui rem sibi donatam per **ERROREM**, pro mutua accepit, proprietatem rei non adquirere uisus est, sed etiam, auctore **PAVLO L. X. D. de Donat.** qui **NESCIT**, rem, quae apud se est, sibi donatam esse, dominus fieri negatur.

Haud multo secus **JCTI** de **DVBITATIONE** responderunt, quae & ipsa induere uidetur & **IGNORANTIAE** naturam, & **ERRORIS**: **IVSTINIANVS L. XXII. §. 2. C. de Furt.** illum, qui **NESCIT**, & hunc, qui **DVBITAT**, rem furto subtraictam, non esse apud commodatarium, eodem commate coniungit: & utrisque, quamuis actionem commodati instituerint, licentiam concedit, ut possint etiam actione furti experiri. Sed apertius **L. XI. C. de Condict.**  
indeb.



indeb. „cum pro DUBIETATE illorum, qui MENTE  
TITVBANTE soluerint pecuniam, certamen incidisset,  
idne, quod ANCIPITI ANIMO soluerint, possint repe-  
tere, an minus; omnibus, qui INCERTO ANIMO inde-  
bitam pecuniam soluerint, concedit repetitionem. Sed  
haec indebiti condic̄io secundum VLPIANVM L.I. D. de  
Condic̄. indeb. pro illis duntaxat, qui IGNORANTES inde-  
bitum soluerunt, introducta uidebatur. Si ex natura rem  
aestimes, qui DVBITAT, non modo, quid ueri subsit,  
IGNORAT; sed praeterea etiam SVSPICIONEM animo  
concipit, nē, si in alterutram sententiam concedat, diuertat  
a uero, & in ERROREM prolabatur. Tandem uero, si  
neglecta DVBITATIONE, ad négotia accedit, & senten-  
tiam, de qua DVBITAVERAT, eligit; non modo DVBI-  
TAT, sed ERRAT etiam saepius: certe non cauet sibi ab  
ERRORE; quamuis interdum forte fortuna etiam uerum  
deprehendat. His fere ex caussis ueteres DVBITATIONEM  
ERRORI compararunt; maxime, cum, quod ait PAPINIA-  
NVS L.LXXVI. D. de R. I. „in totum omnia, quae animi  
destinatione peragenda sunt, non nisi VERA, & CERTA  
SCIENTIA perficiantur; DVBITATIO autem non minus,  
atque ERROR, & IGNORANTIA, certitudinem scientiae  
perturberet. Hinc, si GAIUM audiamus, in DVBIIS caussis  
iuriurandum exigunt iudices, & secundum eum, qui iura-  
uit, iudicant. Sed, cum iureirando induci in errorem  
possint, si quis noua se instrumenta inuenisse dicat, quibus  
nunc solis usurus sit, caussam ex integro agere permittunt.  
L.XXI. D. de Iurei. Ne tamen ignoras credas JCTos,  
quid inter DVBITATIONEM, & ERROREM discriminis  
intersit; VLPIANVS L.XV. D. qui Test. fac. poss. DVBI-  
TANTES quidem ab ERRANTIBVS sciungit; sed eodem  
tamen iure illos, qui ERRENTE, & hos, qui DVBITENT,  
censendos arbitratur. „De statu, inquit, suo DVBITAN-



„TES, uel ERRANTES, testamentum facere non possunt. Igitur secundum VLPIANVM, nihil intererit, utrum abreptus ERRORE quodam, pecuniam, quae tibi donandi animo a donatore tradebatur, quasi mutuam acceperis, an DVBITAVERIS, ne credendi animo tradatur.

## III

## IVS ERRORIS IN CONTRAHENDIS NEGOTIIS EX

LEGE NATVRALI

IN tanta varietate uerborum, magis etiam de iure disceptatum est. Videamus igitur, quae NATVRAE CONIVNCTA sint, de ERRORE in contrahendis administransque negotiis, praecepta. Res omnis ex natura paetorum cognoscetur. Et primo quidem disputatione non indiget, ex SOLO CONSENSV, nisi aliud quidquam caussae subfit, & accedat, OFFICIA nobis non imponi. Cum enim singi OFFICIVM animo non possit, quod non a LEGISLATORIS cuiusdam uoluntate proficiscatur; consequens est, non SOLO NOSTRO ARBITRIO illa constitui, aut SOLO nos CONSENSV nostro, atque VOLUNTATE, obstringi, ut, quod promisimus, praestemus. Praeterea facile contrahentes etiam in MALAM REM, & peruersam, in furtis, & latrocinia, in fraudes, atque machinationes, CONSENTIVNT: aut de rebus inutilibus, & vanis, paciscuntur; quae cum a nobis exigi non uelit legislator, ex solo consensu peti, aut deberi, non possunt. Sed neque in illis caassis, quae MANIFESTE PRAECEPTAE sunt, & quae generatim omnibus, a quolibet, atque omni tempore, debentur: ut: ne offendas socios, ne a pace inita discedas, & quae his similia sunt, solo CONSENSV nostro, sed potius LEGE obligamur: quae generatim etiam INVITOS tenet, atque ad obsequium adducit. Quapropter in illis caassis, nisi admonendi, docendique aduersarii, caussa, superuacaneum est, acce-

accedere ad pactionem. Superest, ut & de illis rebus ui-  
 deamus, quae nec ab omnibus praestandae sunt, neque  
 omnibus concedi possunt; sed, prout conditio rerum, &  
 personarum, postulat, prout nostrarum uirium copiae per-  
 mittunt, aut aliorum indigentia exigit, non, nisi certo tem-  
 pore, atque ex caussis singularibus, debentur. Quod genus  
 officiorum philosophi officia hypothetica appellant. Sed ne  
 in his quidem pactione opus est, si conditiones, quibus illa  
 officia nituntur, etiam sine declaratione mutua, patescant:  
 Sique per se appareat, quid alteri ex creatoris uoluntate  
 debeatur. Ut: si quis in manus hostium incidat, quem li-  
 berandum esse arbitremur; aut si aedibus uicini absentis  
 ignis immittatur, quem, praeter te unum, nemo commode  
 restineturus uideatur; teneris ad ferendam opem, etiam  
 sine pactione. Caret enim dubitatione, necessitatem tibi  
 imponi, ut succuras; cum & tu possis commodissime, &  
 alter tui in primis auxilii indigere cognoscatur. Hoc est, quod  
 POMPONIVS L. XXIII. & GAIUS L. LIII. D. de Solut.  
 affirmarunt, quod & INVITOS, & IGNORANTES, libe-  
 rare, eorumque conditionem meliorem facere, possimus.  
 Neque uero illud, quod GAIUS ait, duntaxat Iure Ciuili  
 constitutum est; sed naturae etiam conuenit, ut, si alterum  
 tui auxilii egere, illudque te sine magno incommodo, &  
 difficultate, terre posse certo intelligas, sponte illud praes-  
 stare teneraris; quamuis alter uel modestia prohibitus, uel  
 imprudentia seductus, a te nec postulet beneficium, neque  
 aequo animo accepturus uideatur. Quando igitur tandem  
 uetus esse pactionibus dicetur? Nimirum si OCCULTAE  
 sint conditiones, ex quibus officium nascitur, ut, nisi ex  
 mutua declaratione, cognosci omnino nequeant: sed deli-  
 berandum sit, ubi beneficium colloces; tunc uidelicet opus  
 est, ut in unam sententiam conueniamus. Neque tu enim,  
 utrum uere debeas beneficium, cognoscis: neque alter,  
 utrum



utrum beneficium a te exspectare possit, intelligit; nisi &  
 alter, qua re demum uere indigeat, & tu, quae commode  
 a te profici sci possint, luculentius exponatis, resque tota  
 ab utroque in apricum producatur. Sed cum ambo con-  
 trahentes horum utrumque cognouerant, tunc pactionem  
 inter se fecisse, & MVTVO CONSENSV constituisse officia,  
 intelliguntur. Ut ecce: si super sit tibi aliquid nummorum,  
 quod in usus tuos iam conuertere non possis; animus est,  
 aut donare illos, aut mutuos dare indigentibus, aut in foe-  
 nore etiam ponere. Nec tamen cuius obuio donabis, aut  
 mutuos, uel foenori, dare poteris: ne uel gladium furioso,  
 atque ingratu porrugas, uel hominem miserum, & egentem,  
 foenore trucides; Sed cognoscenda sunt omnia, priusquam  
 recte beneficium collocasse videaris. Igitur non tam ex  
 CONSENSV, quam ex RERVM CONDITIONIBVS, &  
 CAVSSIS, quae, cum antea obscurae essent, per pactionem,  
 & consensum, eruuntur, atque declarantur, enascitur obli-  
 gatio, & necessitas fidem pactorum adimplendi. Hinc  
 CONSENSVM CAVSAM OBLIGATIONIS appellamus,  
 quia CONSENSV denum nostro significamus, ueram nos  
 officii nostri rationem cognovisse. Ex quibus rebus intelli-  
 gitur, omnem pactionem ERRORE, & IGNORANTIA, &  
 DUBITATIONE, perturbari. Neque enim, qui ERRORE  
 distrahuntur, caussas illas recte perspiciunt, ex quibus so-  
 lis, quid promittere, quid praestare debeamus, intelligi-  
 tur: & quarum cognitione omnis fides, & sanctitas, pacto-  
 rum continetur. Sed neque illud obscurum est, non omnem  
 ERROREM, aut IGNORANTIAM, pactiones dissoluere;  
 sed illam duntaxat, quae impedimento sit, ne ueras officii  
 nostri caussas cognoscamus. Ut: si mutuam Ticio pecu-  
 niam dederis, cum falso existimares, alios tibi nummos su-  
 perefesse, qui tuis necessitatibus suscepisti uideantur; uel  
 cum Titium, qui patris potestati subiectus est, & intem-  
 periis

periis nocturnis agitatur, sui iuris hominem, & frugi esse,  
audiuisses; nihil inter uos actum est, cum dare alteri mu-  
tuum, ratio non iubeat, nisi & tibi copia sit nummorum,  
qui mutuo concedi possint: & nisi alter indigeat illis rebus,  
quas mutuo postulat: & spes denique superfit, tuum, quod  
dederas, recuperandi. Cetera uero tuto IGNORANTVR;  
neque negotia talis ERRORIS excusatione distrahuntur, qui  
non effecit, ut aliter, ac res postularet, cogitares de tuo  
officio, & VOLUNTATEM declarares. Hinc recte VLP-  
PIANVS L.IX. §. I. D. de Contr. Empt. „nihil facere ERRO-  
REM NOMINIS affirmat, si de corpore consentiamus.  
Neque enim propter nomen duntaxat facile quisquam con-  
trahere negotium creditur, aut mutare VOLUNTATEM;  
nisi hoc ab ipso fuerit antea uerbis expressis indicatum. Qua-  
propter etiam, si tu nummos DONANDI ANIMO traderes,  
ego QVASI MVTOS acciperem; magis est, nihil obesse  
hunc errorem: cum & tu perspexeris, succurrendum meae  
inopiae: & me modestia mea prohibuerit, ne peterem, ut  
donares. Praeterea etiam, cum, re comperta, non contra-  
dixerim, neque nummos restituerim; probabile est ad fi-  
dem, me, si antea perspexisse animum tuum, accepturum  
fuisse, quod donatum est, & grati animi significationem edi-  
turum. Sed ponamus, dissolui ERRORE pactionem. Si  
alter, cum quo negotium gestum est, non nihil inde damni  
contraetur uideatur; an liceat discedere a fide pactionis,  
grauior est disputatio. Ut ecce: composui rationes meas,  
resque omnes ordinaui: in te spem & fiduciam collocaui:  
nihil dubitau: credidi me pecunias ex pacto accepturum:  
creditori meo me soluturum, quod a te exspectaueram,  
promisi; si sefelleris expectationem meam, & fidem dese-  
rueris, re carebo, quam, nisi a te fuisset spes mihi iniecta,  
ab aliis quaerere, & sine difficultate impetrare, potuisssem.  
Enimuero expeditum est, resarcendi damni officium ad

C

illos



illos pertinere, quorum culpa, & uitio, **ERROR** est commisus. Quapropter, si te in **ERROREM** induxerim; ne quid incommodi sentias, prospicere tenebor. Contra, si, quod plerumque accidit, tua praecipitania, & facilitate, **ERRATVM EST**, neque meum officium, ut detegerem, aut exquirerem **ERROREM** tuum, postulauit; ipse damnum, tua culpa contractum, senties: ipse tuam culpam luere teneberis. Nec tamen commodius damnum resarcies, atque incommodo liberabis aduersarium, quam seruando pacta, ac promissa adimplendo, ad quae per **ERROREM** accessisti. Si enim discederes a pactione, & illud, quod interest, praestare, & damnum resarcire malles; longa dinumeratione, quid alter incommodi inde accipiat, comprobandum esset: res in magna, & ancipiti disputatione uersaretur: fides promissorum, uinculum humanae sociatis, folueretur. Igitur, qui sua culpa in **ERROREM** incidit, tenetur pactione. Sed, si careas omnino culpa: & **PROBABILI ERRORE**, quem ne homo quidem idoneus & sapiens facile cauere possit, deceptus sis, atque ad paciscendum inuitatus; fatis quidem debes, & infortunio, quod in **ERROREM** incidisti: nec tamen animaduerto, cur possis discedere a pactione. Neque enim, si naturam audias, aduersarium, cui nihil accidit, qui nihil commisit, sed tibi fidem habuit, atque omnia salua existimauit, cogere poteris, ut te sensu infortunii tui liberet, tua incommoda perferat, & fructu exuatur, quem ex tuo promisso exspectabat. Ut ecce: cum tibi absenti procurator tuus persuasisset, exustas esse aedes tuas; idem etiam amici testarentur; tu, cum non dubitares de fide illorum, qui rem ad te retulerunt, emisti alias aedes, & pretium te soluturum, promisisti: Sed postea intelligis, non tuas, sed vicini aedes igni periisse. In probabili **ERRORE** uersabarisi, cum non haberes, quo minus procuratori & testibus crederes: aedes tuas con-

conflagrassæ; sed nec aduersarius peccauit, qui, cum res tuas ignoraret, tibi permisit, ut, quid faciendum sit, constitueres: emptione uero perfecta, rationes suas ita compo-  
suit, ut pretio aedium suarum, a te promissio, sine suo in-  
commodo, carere non posse uideatur. Poteris tu quidem  
uel cum procuratore, vel cum fortuna, conqueri, quod  
cogaris aedium pretium soluere, quas non emisses, si saluas  
esse tuas aedes cognouisses. Sed infortunii tui partem in  
aduersarium transferre, aut a pactione discedere, naturali  
iure prohiberis. Nam praeter ius aduersarii tui, etiam rei-  
publicae, & societatis, interest, sanctam esse fidem pacto-  
rum: & nullo facile titulo, aut excusatione, perturbari.  
Quod ni fiat; in lubrico erunt omnia: & moniti exemplo  
pacientes semper in posterum timebunt, ut rata sint ne-  
gotia, quæ pactione, & consensu, contrahuntur. Non  
ignoro, quid circa illud argumentum magnus PUFEN-  
DORFFIVS<sup>a)</sup> philosophetur. Ille tunc quidem, cum ER-  
ROREM meum, antequam res TRADITA fuerit, ipse de-  
prehendam, & corrigam; aequum esse credit, ut mihi  
facultas poenitendi concedatur. Sed illud hactenus uerum  
est, si ne alter quidem, quem in spem adimplendæ fidei  
meae pacto adduxeram, res suas ita ordinauit, ut sine suo  
incommodo, re a me promissa iam carere non possit. Nam  
potuit, etiam priusquam res promissa TRADERETUR,  
spem aliquam ex tua pactione incloare: quam si tu falleres,  
& frustrareris; damnum aduersario, nulla eius culpa con-  
tractum, immerenti afferre videreris<sup>b)</sup>

## V

## IUS ERRORIS EX LEGIBVS CIVILIBVS ROMANIS


Non ausim affirmare, eandem semper regulam, ubi  
de ERRORE respondendum esset, JCtos ueteres fecutos.

C 2

Lon-

a) PUFENDORF. I. Nat. &amp; Gent. III. 6. 6.

b) GUNDLING. I. c.



Longum foret, per omnia capita uagari. Sed pauca delibabimus: & primo, si in persona erratum fuerit, an ualeat negotium? dispiciemus. **VLFIANVS L. XV. D. de Iurisd.**  
 „si per ERROREM alias pro alio Praetor aditus fuerit; ni-  
 „hil ualere: neque qui ERRENT, illos in Praetorem con-  
 „sentire, existimat, cum nihil tam contrarium consensui,  
 „quam ERROR, videatur. Et L. II. pr. D. de Iudic. illos  
 „demum CONSENTIRE in Praetorem, qui sciant, se non  
 „subiectos esse Iurisdictioni eius: ceterum, si PVTENT,  
 „eius Iurisdictionem esse; nullam fore iurisdictionem; cum,  
 „auctore IVLIANO, ERROR litigantium non habeat con-  
 „sensum. Sed cum quaereretur, num ualeant, quae Bar-  
 barius Philippus, seruus fugitiuus, Praetor creatus per ER-  
 ROREM, & pro libero habitu, in Praetura, edixerat? **VL-**  
**PIANO L. III. D. de Off. Praet.** aliter uisum est: nihilque  
 illorum reprobari placuit; cum potuisset Populus Rom. si  
 sciuisse, seruum esse, etiam seruo decernere hanc potesta-  
 tem. Mibi quidem uidetur **VLFIANVS** non recte responsi-  
 rationem reddidisse. Neque enim consequitur: cum PO-  
 TVISSET Populus Rom. Philippo, etiam seruo, decernere  
 Praeturam: quod probabile sit, VOLVISSE etiam Populum  
 hanc ipsi dare potestatem, quamuis seruum fugitiuum esse  
 cognouisset. Sed certius est, propter utilitatem publicam,  
 & illorum, qui apud Philippum, uel lege, uel alio quodam  
 iure, egerant: &, ne fides publica solvatur: ne lites ex  
 litibus nascantur: neue publica negotia illo obtentu pertur-  
 bentur; etiam illa, quae a seruo gesta sunt, seruari. Non  
 multo secus **HADRIANVS L. I. C. de Testam.** rescripsit:  
 „Testes serui, an liberi fuerint, non tractandum esse, cum  
 „eo tempore, quo testamentum signabatur, omnium con-  
 „sensu, liberorum loco, quamuis per ERROREM, habe-  
 „rentur. Sed de illo argumento **MENOCHIVS,**<sup>a)</sup> BEYE-  
 RVS,

<sup>a)</sup> **MENOCH.** de Arbitr. Iud. Quaest. I. qu. 75. p. 51.

RVS, <sup>a)</sup> alii plerique, copiosius exposuerunt. In priuatis caussis ERROR CIRCA PERSONAM, secundum iuris subtilitatem, uitiat negotium, quod subinde tamen, propter aequitatem, conseruatur. Vt: si rem tibi tradidero, ut MEO nomine Titio donares, & tu TVO nomine Titio dederis: Titius etiam, se rem a TE donatam accipere, per ERROREM crediderit: IAVOLENVS ait L.XXV. D. de Donat. „quantum ad iuris subtilitatem, quia ERRATVM est, rem „accipientis factam non uideri; sed benignius esse, si agam „contra eum, qui rem accepit, me exceptione doli mali „submoueri. Item, si procuratori meo rem tradideris, ut MIHI adquireret; is ea mente acceperit, ut SVAM faceret; IVLIANVS L.XXXVII. §.6. D. de A. R. D. NIHIL AGI, respondit; Sed si VLPIANVM L.XIII. D. de Donat. audias, „nihil agit procurator duntaxat in sua persona, sed res mihi „adquiritur. Hoc fere iure utimur, si IN PERSONA fuerit ERRATVM. Sed si IN REBUS, de quibus inter nos agitur, ERROR quidam nos perturbet; utrum ille impedimento sit, ne negotium perficiatur, uideamus. Et generatim POMPONIVS L.LVII. D. de O. & A. „In omnibus „negotiis contrahendis, siue bona fide sint, siue non sint, „si ERROR aliquis interueniat, ut aliud sentiat, qui emit, „aut conductit; aliud, qui cum his contrahit; NIHIL VA- „LERE, quod actum est: & VLPIANVS L.CXVI. §.2. D. de R. I. „qui ERRANT, illos CONSENTIRE non uideri: & in primis PAPINIANVS L.LXXVI. D. de R. I. „In to- „tum omnia, quae animi destinatione peragenda sint, non „nisi VERA & CERTA scientia, perfici posse, censuerunt. Speciatim, si de CORPORE per ERROREM differerimus, & tu me in vacuam possessionem fundi Corneliani miseris, ego me in Sempronianum missum esse, putauerim, & in Cornelianum iero; nisi in nomine tantumERRAVERIMVS,

C 3

ne

a) BEYER. Dissert. Acad. X V. Sect. I. n. 7.



ne possessionem quidem mihi adquiri, putat VLPIANVS L. XXXIV. pr. D. de A. uel A. Poss. quia ERRANS adquirere non posse videatur: Tantum abest, ut negotium PERFICI putemus, in quo ne quidem de CORPORE utriusque sententia concurrit. Si igitur me fundum Cornelianum emere CREDEREM, tu mihi Sempronianum uendisti: aut ego me Stichum emere, tu Pamphilum absentem uendere PVTASTI; cum in corpore dissentiamus, auctore VLPIANO L. IX. D. de Contr. Empt. nullam appetet esse exemptionem. Sed VLPIANVS ab ERRORE IN CORPORE, ERROREM IN SUBSTANTIA sciungit, quem L. IX. §. 2. D. de Contr. Empt. & L. XIV. D. eod. tit. etiam ERROREM IN QUALITATE, & MATERIA, appellat. „Nullam, ait, esse uentionem, si in SUBSTANTIA, id est, „materia & qualitate fuerit erratum; quia aliud pro alio „uenisse videatur. Sed interest, utrum in GENERE materiae, an tantum in SPECIE, erremus. Neque enim necesse est, ut de SPECIE consentiamus. Ut: si putarem, me uirginem emere, cum iam esset mulier; emptio ualebit: quia in sexu non erratum L. XI. §. 1. D. de Contr. Empt. & si acetum pro uino ueniat; erit emtio: si modo uinum acuit, nec fuerit ab initio acetum, L. IX. §. 2. D. d. tit. Neque si aurum fuerit deterius, quam emptor existimauit: aut si uiriola, quae aurea uidebatur, aliquid auri habeat, quamuis magna ex parte aenea esse deprehendatur; distrahetur negotium; sed emptio ualebit, si PAVLLVM L. X. D. & VLPIANVM L. XIV. D. de Contr. Empt. audiamus. Contra, si uinum non acuit; sed fuit ab initio acetum, quod pro uino uendebatur: L. IX. §. 2. D. d. t. uel tu puerum emere existimasti, ego mulierem uenderem, L. XI. §. 1. D. d. t. uel aes, pro auro, ueneat: uel mensam argento copertam, pro solida, mihi ignorant, ipse ignorans, uendisti; nihil aetum est: & data eo nomine pecunia, auctore

IVLI-

IVLIANO, condicetur, L. XLI. §. 1. D. de *Contr. Empt.*  
 PAVLLVS praeterea, utrum in re PRINCIPALI, an in  
 ACCESSIONIBVS, ERRATVM fuerit, distinguit; & si non  
 intelligatur, quid ex pluribus rebus accesserit, cum de alia  
 re uendor, de alia emptor cogitasset; nihilominus emptio-  
 nem fundi VALERE arbitratur, L. XXXIV. pr. D. de *Contr.*  
*Empt.* POMPONIVS etiam L.LII. D. Locat. si in consti-  
 tuendo PRETIO ERROR nos aliquis confundat; ut: si ego  
 decem tibi fundos locem, tu autem existimes quinque te  
 conducere; NIHIL ACTVM esse censuit. Ex quibus re-  
 bus intelligitur, maiorem ueteres ERRORI, quam pree-  
 pta naturae coniuncta postulare uidebantur, ueniam dedisse

## VI

ERROR CIRCA TITVLVM, EX QVO DOMINIUM  
 TRANSFERTVR

SED, si ne de ipso quidem NEGOTIO, quod gerimus,  
 consentiamus; res disputatione non indiget: sed constat,  
 ERROREM prohibere; ne illud, quod inchoatum est, per-  
 ficiatur. Inprimis in TRANSFERENDIS DOMINIIS tanto  
 diligentius obseruatum est, ne per ERROREM proprietas  
 transeat; quanto magis publice interesse uidebatur, non  
 temere iactari dominia: sed cum cura quadam & prouiden-  
 tia adquiri. Hinc PAVLLVS L.XXI. pr. D. de A.R.D.  
 NVDA traditione non transferri dominia, preecepit: sed  
 ita, si uenditio, aut alia IVSTA CAVSSA preecesserit, pro-  
 pter quam traditio sequatur. Sed IVSTA CAVSSA non  
 preecedere intelligitur; nisi secundum IAVOLENVM L.LV.  
 D. de O. & A. in illis, quae dominium transferunt, ex  
 utraque parte AFFECTVS contrahentium CONCVRRAT.  
 Nam siue ea VENDITIO, siue DONATIO, siue quelibet  
 caussa contrahendi fuit; nisi animus utriusque CONSEN-  
 TIT, negotium non perficitur. Hinc fere is, qui NESCIT,

rem\*

\* \* \* \* \*

rem, quae apud se est, sibi esse donatam: uel missam sibi, non accepit; teste PAVLLO L. X. D. de Donat. dominium non adquirere uidetur. Discederem ab hoc loco; nisi id monendum videatur: quod interdum, si alia CAVSSA IDONEA non subsit, ex qua proprietas transeat; etiam SOLA domini VOLVNTAS, id agentis, ut dominium in accipientem transeat, non dissentiente altero, in locum CAVSSAE IDONEAE succedat. Neque enim IUSTINIANO aliquid magis conuenire naturali aequitati uisum est, quam VOLVNTATEM domini, uolentis rem suam in aliud transferre, ratam haberi: quare cuiuscunque sit res corporalis, tradi potest, & a domino tradita, alienatur. §. XL. I. de R. Dnu. Quod etiam GAIUS L. IX. §. 3. & 7. D. de A. R. D. probauit: & praeterea de missilibus monuit, quod qui illa iactauit in vulgus, quamuis ignoret, quid eorum quisque excepturus sit; tamen eum, qui exceperit, dominum faciat: quia ab initio, eius esse, qui exceperit, VOLEBAT. VOLVNTAS igitur domini, qui PVTAT, se habere iustum caussam, cur proprietatem transire patiatur, sufficiet alteri, non oblustanti, ad DOMINIVM Iure Ciuii ADQVIRENDVM. Operae pretium uidetur, id docere per exempla. Ut ecce: si quis sub conditione promisit pecuniam, sed dedit ea lege, ut, si conditio exitisset, pecunia in solutum cederet: nulla, praeter VOLVNTATEM DOMINI, subest cauſsa idonea, cur proprietas transeat: cum docente VLPIANO L. CXIII. D. de V. S. pendente adhuc conditio ne, nec cessisse dies, nec uenisse videatur; & tamen, etiam antequam conditio existeret, pecuniam accipientis factam esse, POMPONIUS L. XVI. D. de Solut. respondit. Neque multo secus VLPIANVS L. VII. §. 3. D. de Iur. Dot. cum mulier dotem ante nuptias ita dedisset, ut STATIM VIRI RES FIERENT; condicere eas, inquit, mulier misso nuncio debebit. Sed vindicare illas non poterit: quia VO-

LVN-



23

LVNTATE mulieris proprietas transisse in maritum videatur. De qua re tantum abest, ut CALLISTRATVS dubitet; ut potius, nisi euidenter aliud actum esse intelligatur, credendum existimet, id agi, ut res sponsi fierent; &, si nuptiae non secutae fuerint, reddantur, L.VIII. *D. de Iur. Dot.* Imo uero, quamvis nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec dos intelligantur, si contra praecepta legum coierint, §. XII. *I. de Nupt.* tamen etiam, si iuris auctoritate matrimonium constare non possit, non VINDICARI quidem rem, dotis loco traditam; sed iure conditionis restituendam esse doteum, ANTONIVS L. I. C. de Condit. ob Cauff. dat. & DIOCLETIANVS L.VII. C. de Interd. Matrim. rescriperunt. Non opus est, ut te multis detineam. Ipsa INDEBITI SOLVTO, cum tu putares, te ex causa crediti, nummos tradere, transfert dominium; quamvis postea nulla iusta causa subfuisse intelligatur. Quapropter IVSTINIANVS §. I. I. *Quib. Mod. Re contrah. Oblig.* non vindicari indebita solutum, sed condicchia actione repetendum, docuit. Quod etiam a V.C. GERARDO NOODT fuisse obseruatum intelligo.<sup>a)</sup> Enim uero, si nulla alia subsit CAVSSA IDONEA; tanquam ex DONATIONE dominium transibit: quia secundum PAVLLVM L.LIII. *D. de R. I.*, „cuius per errorem dati est repetitio, eius consulto dati donatio ui- detur, & secundum PAPINIANVM L.XXIX. *D. de Donat.* & L.LXXXII. *D. de R. I.*, „id donatur, quod nullo iure cogente conceditur: quamvis illa donatio subinde sub certa conditione (etiam tacita) soluatur, L.I. pr. *D. de Donat.* atque aliquando, quod traditum est, conditione repeta tur.

D VII

a) GERARD NOODT de Forma Emendand. Dol. mal. Cap. XV.

pag. 380

IVS ERRORIS IN POSSESSIONE ET VSVCAPIONE  
 HACTENVS expositum est, non nisi EX IVSTA  
 CAVSSA, quam ueram putent contrahentes, dominium  
 transferri: & dissensum in CAVSSA, ne res adquiri possit,  
 prohibere. Sed ne usucapi quidem posse res tradita uide-  
 tur; nisi CAVSSA praecesserit, & de illa convenerit inter  
 contrahentes. Quanquam enim, secundum NERATIVM  
 L.V. D. Pro suo, „quilibet usucapiat, quod, cum suum  
 „EXISTIMARET, possederit; hoc tamen ita interpretan-  
 dum est, ut PROBABLIS ERROR possidentis usucacionem  
 non impedire uideatur: Ceterum IVSTINIANVS genera-  
 tim §. II. I. de Usucap. ERROREM FALSAE CAVSSAE  
 usucacionem non parere, affirmat: ueluti, si quis, cum  
 non emerit, emisse se existimans, rem possideret; cum  
 praeterea in emptione & tempus, quo contrahitur, & illud,  
 quo res traditur, inspicendum esse, PAVLLVS praecipiat,  
 L. II. pr. D. Pro Empt. Igitur nec pro derelicto, quod  
 FALSO EXISTIMAVERIS derelictum esse, L. VI. pr. D.  
 Pro Derelict. neque pro legato usucapies, quod, legatum  
 esse FALSO MVTAVISTI L. II. D. Pro Legato. Denique  
 & pro donato is demini usucapiet, cui res uere tradita fue-  
 rit animo donandi. Nec sufficit OPINARI, sed & donatum  
 esse, oportet, si PAVLLVM L.I. pr. D. Pro Donat. audia-  
 mus. Sed finge, quod DONATA tibi fuerit res aliena,  
 quam tu MVTVO DATAM arbitreris: si postea, detecto  
 ERRORE, corrigas opinionem, & cum intellexeris, do-  
 nandi animo tibi traditam fuisse, PRO DONATO possideas;  
 an usucapere possis, uideamus. Et uideris pro donato usu-  
 capere: nisi forte timendum sit, ne credaris tibi ipsi CAVS-  
 SAM POSSESSIONIS MVTAVISSE; quum, quod QVASI  
 MVTVVUM acceperisti, deinceps donatione intellecta, malue-  
 ris PRO DONATO possidere. Neminem enim sibi ipsi cau-  
 sam

\* \* \* \*

sam possessionis mutare posse, a veteribus, teste PAULIO L. III. §. 19. D. de A. uel A. possedd. praeceptum est. Sed certius est, te tibi ipsi caussam possessionis non mutasse. Bona enim fide, accepisti quasi MVTVVVM, atque, ex uoluntate domini, deinceps PRO DONATO possedisti. Sed, quod uulgo dicitur, ipsum sibi caussam possessionis neminem mutare posse: haec tenus uerum est; si quis sciens, se bona fide rem non possidere, lucri faciendi caussa possidere inciperet. Ita enim IULIANVS L. XXXIII. §. 1. D. de Vsurp. respondit. „Hoc etiam in caassis similibus subinde obser-“ uatum est. Ut ecce; Si quis emerit fundum sciens, ab “eo cuius non erat, pro possessore possidebit. Sed si eun-“ dem a domino emerit, incipiet pro emptore possidere, “nec videbitur, sibi ipsi caussam possessionis mutauisse. “Idem iuris erit, etiamsi a non domino emerit, cum eum “esse dominum existimaret. Idem hic, si a domino heres “institutus fuerit, uel bonorum eius possessionem acceperit, “incipiet fundum pro herede possidere, nec videbitur cau-“ sam possessionis sibi mutauisse. Detecto igitur ERRORE, PRO DONATO usucapies, quod antea QVASI MVTVVUM coepisti possidere.

### VIII

LEX XVIII. P. DE R. C. EXPOSITVR

HABES iam fere omnia, opinor: ut iam facile de IULIANI, VLPIANIQUE dissensu sententia dici posse videatur. Sed primum de VLPIANO uideamus. „SI EGO, inquit, PECVNIA M TIBI QVASI DONATVRVS DEDERO, TY QVASI MVTVAM ACCIPIAS; IULIANVS SCRIBIT, DONATIONEM NON ESSE, SED AN MVTVA SIT, VIDENDVM. CVIACIVS<sup>2)</sup> caussam, de qua hac lege

D 2

dispu-

4) CVIAC. ad Lib. XII. Dig. Tit. I. num. 18. Edit. FABROTTI  
v. T. I. Part. II. pag. 709.

\* \* \* \* \*

disputatum est, esse scholasticam creditit; id est, quales studiosis rhetorices olim dari solebant declamanda. Neque enim affirmare audet, posse eiusmodi speciem subinde etiam in foro obuenire. Sed aliter certe TRIBONIANO uisum est, qui Titulo de Reb. Cred. illam disputationem inseruit: ut daret iudicibus regulam, quam, si quid tale euenisset, sequerentur. GRAECI etiam ex usu esse putauerunt, si & ipsi huius controversiae modum definirent: & cum uix aliud quidquam, quod ad forum non spectaret, transcriberent; Libro XXIII. L. 18. *Βασιλικῶν<sup>a)</sup>* VLPIANI legem his sere uerbis expresserunt: Εάν ἐγώ μὲν ὡς δωρέμενος δῶτων, σύ δέ δέξῃ ὡς δανειζόμενος, ἐδέπερ τέλος ἔφεσται, καὶ εἰ γίνεται σὸν τὸν νομίσματος ἐι δέ δαπανήσων, ἔχεις δόλος παρεγεγαφήν, ὡς κατὰ γνώμην μὴ δαπανήσας. Ad quem locum illud monendum est: τὸ δανειζόμενον, non FOENVS; sed MVTVM GRA-TITVM, in quo usuras nemo promiserit, notare; quamvis plerumque GRAECI ēri μεγάλοις τόνοις adiiciant: uel, si nihil addiderint, FOENVS intellexisse uideantur. Sed VLPIANVS non de FOENORE, sed de MVTVO disputat. Quod adducendum fuit, ne quid nos postea perturberet. Ergo & GRAECI intellexerunt, posse aliquando accidere, ut ille, cui DONATVM EST, se rem quasi MVTVAM accepisse, arbitretur. Neque difficile fuit, illud affirmare, si SCHILTERVM<sup>b)</sup> audiamus, qui hanc speciem proponit:

„Rogasti me absentem per litteras, ut tibi centum crede-  
„rem. Misisti pecuniam per nuncium tuum, cum epistola,  
„QVASI DONATVRVS; Tu, instrumento donationis a  
„nuncio tuo amissio, pecuniam, QVASI MVTVAM accipis;  
„cum me poeniteret donationis, & epistolam meam pérdi-  
„tam, compreissem: reperio nummos traditos Rei Vindica-  
„tione. Tu interim ex reperta epistola mea cognouisti,

„me

a) Edit. Basile. FABROTT. T. III. p. 225.


b) SCHILT. Exercit. ad ff. L. XII. Tit. I. de R. C. Thes. 37



„me donare uoluisse; & donationis uteris exceptione.  
Haec tenus SCHILTERVS. Habes igitur donatarium, qui  
rem donatam, quasi mutuam accepit. Sed quaerit VLPIA-  
NVS: an donatio sit, quod gestum est inter contrahentes?  
Et IVLIANO consentit, qui scripsérat: DONATIONEM  
NON VIDERI; seu, quod deinceps apparebit, donationem,  
ex ACCIPIENTIS parte, initio PERFECTAM, & EX-  
PRESSAM non fuisse. Accepisti primum caput controuer-  
siae, quam VLPIANVS disceptauit. Quaeris rationem?  
Illam CVIACIVS a IAVOLENO L. LV. D. de O. & A. in-  
dicari credit: „qui in omnibus rebus, quae dominium trans-  
ferant, & eximie, in DONATIONIBVS, nisi animus utri-  
usque contrahentium CONSENTIAT, atque in unam sen-  
tentiam concurrat, nihil illorum valere, quae gesta sunt,  
respondit. Sed accipiens rem, quae animo donandi mit-  
tebatur, non DONATAM, sed MVTVAM esse credit; ut  
de caussa dissensisse uideantur. SCHILTERVS, ne POSTEA  
quidem, ex mente VLPIANI, donationem stricto iure per-  
fici putauit, atque ex L. CCX. D. de R. I. rationem, &  
LVCINII RVFINI sententiam, repetit: „quae ab initio  
„inutilia sint, ex post facto, conualescere non posse. Quod  
an uerum sit, deinceps locus erit exponendi. Sed quidquid  
illorum fuerit, certe secundum PAVLLVM L. LXIX. D.  
de R. I. „invito beneficium non datur; atque uti, nemo  
„ignorans & inuitus donat, L. X. C. de Donat. ita, nec libe-  
ralitas nolenti adquiritur, secundum VLPIANVM, L. XIX.  
D. de Donat. Ergo donatio esse non uidetur. SED AN  
MVTVA SIT, VIDENDVM: pergit VLPIANVS: ET PVTO,  
NEC MVTVAM ESSE. PVTTAT VLPIANVS, non certum,  
& expeditum habet: rem esse ancipitem agnoscit. Sed  
PVTTAT: non esse MVTVAM: quamuis ille, qui nummos  
tradiderat, etiam plus dare uoluerit, quam mutuum: ha-  
bueritque animum donandi. Obstat enim CELSVS, qui

D 3

MV-



MVTVVVM, nisi inter CONSENTIENTES, fieri non posse; L. XXXII. D. de R. C. affirmat. Et IVLIANVS etiam L.XIX. pr. D. eod. t. uidetur prohibere, qui: „Non omnis, inquit, numeratio eum, qui accepit, obligat; sed quoties id ipsum agitur, VT ALTER CONFESTIM OBLIGETVR. Sed donator non dedit hoc animo, ut accipientem obligaret. Neque igitur QVASI MVTVVVM, quod gestum est, ualebit. Plus dicit VLPIANVS: MAGISQVE, inquit, quasi non in illo subsistat, quod nec DONATIONEM esse, nec MVTVVVM, responderit: quasi longius progrederiatur: MAGISQVE, qua fere particula ueteres dissensionem, quam ab aliis faciunt, subinde solent indicare, MAGIS igitur, quidquid alii, atque ipse IVLIANVS, in partem contrariam disputent, „NVMMOS ACCIPIENTIS NON FIERI, CVM ALIA OPINIONE ACCEPERIT. Neque enim uidebatur, nisi ex iusta cauſa, consensu constitutum posse dominium transferri. Qua propter cum nec tu in donationem, nec donator in mutuum consenserit, & praeterea dominium, teste PAVLLO L.III. §. 4. D. de A. uel A. Poff. nisi EX VNA duntaxat CAVSSA, in quam uterque consenserit, non transeat; nec adquirere aliquid accipientem, nec ualere illorum aliquid, quae acta sunt, putavit. Quoniam igitur dominium non transit, quomodo recuperare, quod tuum est, possis, deliberandum est. Si extet pecunia, quam donandi animo dederas, qua actione experiri possis, VLPIANVS non desinit: rem in medio relinquit. CVIACIVS rei uindicatione utendum esse existimat, quum dominium quod in alterum non transit, apud te residere uideatur. Et puto ex mente VLPIANI, recte CVIACIVM sensisse. Sed de pecunia consumpta pergit VLPIANVS: „SI NVMMOS CONSUMPSERIT, LICET CONDICTIONE TENEATVR: TAMEN DOLI EXCEPTIONE VTI POTERIT, QVIA SECUNDVM VOLUNTATEM DOMINI NVMMI SVNT CONSUMPTI.

Duo

Duo respondet VLPIANVS, & quasi utrumque litigantium  
 armat & instruit: CONDICTIO<sup>N</sup>E donatorem, qua petat  
 illum, cui rem tradidit: & EXCEPTIONE DOLI donata-  
 riū, qua defendat impetum petentis. De CONDICTIO-  
 NE prius disputemus. SI EOS CONSUMPSERIT, inquit  
 JCtus, LICET CONDICTIO<sup>N</sup>E TENEATVR: Ergo ex  
 ipsa consumptione nascitur CONDICTIO: cum REI VIN-  
 DICATIONI, re non amplius extante, locus esse non possit:  
 nec AD EXHIBENDVM agi posse uideatur. Non enim  
 MALA FIDE consumpseras, qui MVTVV M tibi datum esse  
 ERRORE probabili opinabaris. Ita Ius esse VLPIANVS  
 L. XI. §. 2. & L. XIII. pr. D. de R. C. respondit. Sed qua  
 CONDICTIO usurum esse dominum? dicemus. Qui-  
 busdam uisum est, MVTVV M, quod antea non erat, uel  
 constitui, uel certe perfici, CONSUMPTIONE: adeoque  
 accipientem CONDICTIO CERTI QVASI EX MVTVO,  
 teneri.<sup>a)</sup> Vocant enim VLPIANVM in partes, qui L. XIII.  
 D. de R. C. „si fur, inquit, nummos alienos tibi credendi  
 „animo dederit, nummos accipientis non facit; sed CON-  
 „SUMPTIS ILLIS NASCITVR CONDICTIO. Certius est,  
 MVTVV M, quod nec antea ualebat, NON PERFICI CON-  
 SUMPTIONE. VLPIANVS enim nec transisse dominium,  
 putauit. Quapropter, si PAVLLVM L. II. §. 2. D. de R. C.  
 praecipientem audiamus, quod ex meo tuum non factum  
 fuerit, mutuum esse non uidetur. Praeterea CELSVS et-  
 iam L. XXXII. D. eod. t. mutuum, nisi inter CONSEN-  
 TIENTES fieri non posse, arbitratur. Ergo cum dissense-  
 rit dominus, non uideris EX MVTVO teneri. Sed de  
 CONDICTIO INDEBITI uidendum. Et expeditum est,  
 quamuis affine sit INDEBITVM MVTVO; tamen non repeti  
 posse, quod tibi datum est, INDEBITI CONDICTIO.

POM-

<sup>a)</sup> LYNCK. ad Inst. II. 8. §. ult. p. 108. SCHILT. I. c. th. 40.  
 DVAREN. in C. h. t. c. 2

\* \* \* \* \*

POMPONIVS enim L. VII. D. de Indeb. Cond. quod PER ERROREM soluitur, INDEBITVM repeti, praecepit. Sed si SCIENS, te non debere, solueris; VLPIANVS L.I. D. d.t. monuit, cessare repetitionem. Igitur, cum tu neque PER ERROREM, sed sciens, & confutlo, neque QYASI DEBITOR, sed exercendas liberalitatis caussa, nummos tradideris; non recte repetere INDEBITVM uideris. Cuius enim PER ERROREM DATI repetitio, eius, si PAVLLVM L. LIII. D. de R. I. audiamus, CONSVLTO DATI, DONATIO uidetur. VLPIANVS igitur, si quid recte intelligo, passus est, te CONDICTIO SINE CAVSSA experiri. Neque DONATIONIS enim CAVSSAM, nec MVTVI, perfectam fuisse, cum rem donatam, quasi mutuam acciperes, VLPIANVS arbitratur. Ergo CONDICTIO SINE CAVSSA locus est: quam generatim VLPIANVS, atque AFRICANVS, L.I. & IV. D. de Cond. sine Caus. concederunt: neque, utrum promiserit quis sine caussa, an dederit: ab initio, sine caussa res tradita, an caussa non secura sit: ab utraque, an ab altera duntaxat parte caussa defecerit, & res redierit ad non iustum caussam; discrimen admiserunt. Eleganter CELSVS L. XXXII. D. de R. C. rem totam explicat: &, „quamuis tibi mutuum non dederim, tamen, quia mea pena cunia ad te peruenit, eam mihi a te reddi, BONVM & AEQVM esse, teque CONDICTIO SINE CAVSSA compellendum esse, arbitratur. Ex BONO & AEQVO igitur CONDICTIO SINE CAVSSA nascitur, ut lacrum INITIUM habentibus extorqueamus: neue illos, qui SINE CAVSSA acceperant, cum damno nostro fieri locupletiores patiamur. Hoc probabili obtenuit VLPIANVS, DONATOREM, quod ex caussa, non omnino perfecta, tradiderat, petere posse arbitratur

Sed

Sed de ACCIPIENTE uideamus. LICET CONDICTIONE, inquit, TENEATVR, TAMEN DOLI EXCEPTIONE VTI POTERIT, QVIA SECUNDVM VOLVNTATEM DANTIS NVMMI SVNT CONSUMPTI. Enim uero donator, dum repetit pecuniam, quam donandi animo dederat; CONDICTIONEM EX AEQVO ET RONO descendantem, in occasionem FRAVDIS trahere, & lucri facienti animo uti remedio uidetur, quod propositum fuerat a Legislatoribus, ut obicem hominibus cupidis opponerent, atque iniquum lucrum prohiberent. Neque enim donator suspicionem FRAVDIS diluet, qui FACTVM SVVM impugnabit; & quod illo consilio dederat, ut accipientis faceret, abusus eius errore, & modestia, reposceret. Ne patri quidem VLPIANVS ignoscebat, qui post mortem filiae suae ausus fuerat, ADVERSUS FACTVM SVVM, quasi non iure illam emancipasset, controversiam mouere. & L. XXV. pr. D. de Adopt. durum illud esse, & acerbum, arbitratur. Neque enim, qui rem donatam, quasi mutuam accepit, cum donatoris damno locupletior fieri uidetur; cum sua illud, si quod est, damnum, culpa, sua voluntate donator sentiat; ideoque illud omnino non sentire censeatur. SCHILTERVS<sup>a)</sup> uel ex hac causa CONDICTIONEM donatoris DOLI EXCEPTIONE ab VLPIANO infirmari putat; quia DONATIONEM etiam alter, re comperta, CONSUMENDO ACCEPTASSE, & quidquid antea uitii fuerit, purgasse uideatur. Sed pignore certarem, illud VLPIANO in mentem non uenisse. Nam si ACCEPTATAM consumendo donationem credidisset; appareret, non DOLI duntaxat SUBSIDIARIA EXCEPTIONE, sed & rei DONATAE titulo, illum, cui res tradita fuerat, defendi potuisse. Illustr. SAMUEL STRYKIVS<sup>b)</sup> uel ex hac sola ratione exceptionem

E IV 1018 libri 100 p. dari

a) SCHILT, l. c. Thes. XL.

b) STRYK, ad LAYTERBACH. h. t.




dari creditit, quia PAVLLVS atque ARRIANVS L. XLVII.  
*D. de O. & A.* ut faciliores simus ad liberationem, praecep-  
perunt. Sed sola iudicantium facilitas, nisi aliud quidquam  
causae subsit, auctorem aequa postulantem, uix repelleret. Si  
rem ob origine repeatas, DOLI EXCEPTIONEM Praetor  
proposuit, ne cui DOLYS suis, per occasionem Iuris Ciui-  
lis, prosit contra NATVRALEM AEQVITATEM. Id enim  
PAVLLVS L.I. §. 1. *D. de Dol. mal. Except.* indicauit. Hinc  
auctorem, qui donationem ex iuris subtilitate, infirmabat,  
factumque suum condicione impugnabat, VLPIANVS cen-  
set EXCEPTIONE DOLI repellendum. Et habet rationem  
VLPIANI sententia, quod DOLI EXCEPTIONEM conce-  
dit: cum PACTI, quod DISSENSV contrahentium pertur-  
batum existimabatur, EXCEPTIO dari non posse uidere-  
tur; in cuius locum fere DOLI EXCEPTIO succedit. Qui  
enim PACTI EXCEPTIONE uti nequeunt, illos poscente  
AEQVITATE, tamen EXCEPTIONE DOLI usuros, IVL-  
IANVS scribit, & reliqui plerique consentiunt, teste VLP-  
IANO L.X. §. 2. *D. de Pacf.* Et generatim, cum aliquid fa-  
ctum ab auctore, quod fieri non oportuit, aut cum aliquid  
perit, quod EXCEPTIONE ELIDI potest; secundum  
PAVLLVM, atque VLPIANVM, L. XX. *D. de Except.* &  
L.II. §. 5. *D. de Dol. mal. Except.* agentem DOLI EXCEPTIO  
repellit. Hinc fere cum pupillo solui, & delegari, sine tu-  
toris auctoritate nequeat; tamen si soluerit ei debitor, &  
nummi salvi sint, potentem pupillum, cum SOLVUTIONIS  
EXCEPTIONE non posset, debitor EXCEPTIONE DOLI  
submouebit. Id enim PAVLLVS L. XV. *D. de Solut.* prae-  
cepit. Ne te diutius teneam; donatorem, qui donationem  
imperfectam aduersus factum suum impugnabat, DOLI EX-  
CEPTIONE etiam IAVOLENVS L. XXV. *de Donat.* repul-  
lit, &, quid iudicaret VLPIANVS, uere praeiuit uerbis  
conceptis: „Si rem, inquit, tibi dederim, ut meo nomine  
„Titio

„Fitio dareſ, tuque tuo nomine dederis; quantum ad iuris  
 „ſubtilitatem, accipientis facta non uidetur; ſed benignius  
 „eft, ſi agam contra eum, qui rem accepit, me EXCE-  
 „PTIONE DOLI MALI submoneri. Ergo DOLI EXCE-  
 „PTIONE repellitur, qui factum ſuum CONTRA AEQVI-  
 „TATEM impugnauit. LABEO DOLI EXCEPTIONEM mi-  
 tigat ſubinde, & PRAESCRIPTIOME IN FACTVM data,  
 actorem, res donatas repetentem, excludendum arbitratur.  
 „Si quis statuam, inquit, in municipio ea mente posuit, ut  
 „ea municipii eſſet, & poſtea illam repetit, excludi eum  
 „oportet, PRAESCRIPTIOME IN FACTVM DATA,  
 L. XXIII. D. de Except. Perinde, ut contra illos, quibus  
 reuerentiam debemus, ſi dolis exceptio competent, excipien-  
 dum eſſe IN FACTVM VLPIANVS L. IV. §. 16. D. de Dol.  
 mal. Except. tradidit. Iniquum igitur uidetur, quod animo  
 alienandi & donandi tradideras, reposcere a poffidente.  
 Quapropter, ex mente VLPIANI, quea ab initio non per-  
 fecta erat donatio, exceptione confirmatur, atque conua-  
 leſcit

## VIII

MENS IVLIANI EX L. XXXVI. D. DE A. R. D.  
 EXPLICATVR

ACCEPISTI mentem VLPIANI; ſed magistrum artis,  
 cui & VLPIANVS plerumque obtemperat, quemque &  
 nos sequendum arbitramur, IVLIANVM audiamus. „CVM  
 „IN CORPVS, inquit, CONSENTIAMVS, IN CAVSSIS  
 „VERO DISSERTIAMVS, NON VIDEO, CVR INEFFICAX  
 „SIT TRADITIO? Ne credas partium ſtudia a IVLIANO,  
 VLPIANVM ſeiunxiſſe. Repugnat enim IVLIANI huma-  
 niſſimi JCti, ingenium: & quea reliqua ſunt, comprobant:  
 non auctoritate respondentium, ſed confilio ipsum, & ratio-  
 nibus, moueri. Quamuis enim L. V. D. Manu. Vind. IA-  
 VOLENVM, ex SABINIANORVM Schola JCTum, laudet



praceptorum suum, & cum alibi passim, tum L.III. §.6. D. de Lib. & Posth. SABINI & CASSII, & L.IX. §.1. D. de Stip. Seru. certe CASSII dicatur sententiam securus; tamen ubi res postulare uisa est, L.VI. §.1. D. de Lib. & Posth. SABINIANOS deseruit: & praeferre opinionem PROCVLI maluit; quam partibus, & praceptoribus dare, quod ueritati detraxisset. Remota igitur ambitione, init rationem, omnia exquirit, non PVTAT tantum, ut VLPIANVS, non haeret in lubrico; sed, ut TVLLII uerbis utar, quasi explicasset, atque excussisset omnem intelligentiam suam, & prouidenter circumspexisset, confirmato animo, non ANIMADVERTIT, cur inefficax sit traditio, quamvis DISSENTIANT in cauissis contraheentes.

Sed forte IAVOLENVS, IVLIANI praceptor, te perturbat, qui L.LV. D. de O. & A. „in omnibus cauissis, quae dominium transferrent, sive DONATIO sit, sive quaelibet alia cauissa contrahendi, nisi ANIVS VTRIVSQUE CONSENTIAT, perduci ad finem, quod inchoatum est, non posse, arbitratur. Permitit enim IVLIANVS, ut transferatur dominium, quamvis dissentiamus in cauissis transferendi. Contra IAVOLENVS nihil ratum habet, nisi de titulo & cauissa conuenerit inter contrahentes. Nec tamen existimo, IAVOLENO IVLIANVM hoc loco controveriam mouere. Ne quis illam suspicionem concipiatur animo, pergit IVLIANVS: „VELVTI, SI EGO CREDAM, ME EX TESTAMENTO TIBI OBLIGATVM ESSE, VT FVNDVM TRADAM, TV EXISTIMES, EX STIPVLATV TIBI EVM DEBERI: NAM ET SI PECVNIAM NVMERATAM TIBI TRADAM, DONANDI ANIMO, TV EAM, QVASI CREDITAM ACCIPIAS, CONSTAT, PROPRIETATEM AD TE TRANSIRE, NEC IMPEDIMENTO ESSE, QVOD CIRCA CAUSSAM DANDI, ATQVE ACCIPIENDI, DISSENSERIMVS. Constat, inquit,

inquit, proprietatem ad te transire: ut intelligatur, de illo argumento non ambigi: hoc ius certum esse, eoque uti ciuitatem: cum VLPIANVS contra PVTET duntaxat, atque ab opinione communi se sciungat. CONSTAT, si alter DONANDI animo dederit, tu quasi mutuam acceperis, quamvis alter caussam, ex qua NIHIL REDDI debeat, intellecterit, alter de caussa senserit, ex qua res esset IN GENERE REDDENDA; non impedimento esse dissensum, quo minus proprietas in accipientem transferatur. Hoc ius expeditum esse, & certum, IVLIANVS, arbitratur. Hinc igitur colligit: multo magis, si uterque aliquod negotium, QVOD EANDEM OBLIGATIONEM CONTINEAT, tractari & subesse existimauerit, dominium transire; quamvis in caassis SPECIALIBVS interuenierit dissensus. Veluti, cum alter ex testamento, alter ex stipulatu deberi fundum crederet, sed uterque tamen IVRE PERFECTO DEBERE rem existimaret. Nolim igitur censeas, quod omnem traditionem IVLIANVS, de cuius caussa fuerit aliquis inter nos dissensus, ratam esse iubeat, & sufficere existimet, si in corpus consentiamus; quamvis inter nos plane non conueniat de caassis. Illud enim oppido falsum est; nec potuisset a IVLIANO, tanquam sententia communis, & recepta, explicari. Quapropter fallitur omnino STRYKVS,<sup>a)</sup> qui hoc solo perfici negotium putauit, quod uterque & donans, & quasi mutuum accipiens, id egerint, UT DOMINIVM IN ACCIPIENTEM TRANSFERATVR. Supra enim a nobis comprobatum est: proprietatem, nisi ex caussa idonea, in accipientem non transire: & si tradens, rem absisse, aliqua caussa non adiecta, uelut accipientis fieri; DONATIONIS certe, cui accipiens non obliuetetur, aliquam speciem subesse. Ausim affirmare, nunquam IVELIANO in mentem uenisse, quod dominium transferri possit, quamvis in nul-

E 3

lam

a) STRYK. ad LAVTERBACH, l. c.

lanti omnino caussam consensissent contrahentes. Sed ostendunt species subiectae, tunc demum ex IVLIANI sententia dominium transire, si non solum de proprietate transferenda; sed etiam de GENERALI quadam CAVSSA, sine quamquam dominium transfertur, conueniat inter contrahentes, quamvis in SPECIALIBVS TITVLIS dissentiamus. Ut ecce: cum alter ex testamento, alter ex stipulatu rem BEBERI, quae traditur, existimaret; uterque generatim rem creditam esse, & DEBERI arbitrabatur; quamvis ex altera parte, in caassis CREDENDI, & DEBENDI, ERROR quidem nos perturbauerit: item: cum tu DONANDI animo traderes, ego quasi MVTVM acciperem; de eo inter nos conuenit: LIBERALITATEM, cui, & in donatione, & in mutuo locus est, a te exerceri, & NEGOTIVM GRATVITVM, inter nos contrahi; quamvis de liberalitatis specie dissentiamus. IVLIANVS igitur ait: sufficere, si de GENERALI quadam CAVSSA transferendi dominii consentiamus. Quae sententia habet rationem, cum & supra a nobis, ubi de ERRORE IN SVBSTANTIA, ET QVALITATE, disputatum est, ostensum fuerit: GENERALI etiam perfici negotia CONSENSV; quamvis inter contrahentes non conueniat de SPECIEBV. Ut ecce: cum in sexu erratum est: tu PVERVM emere putares, ego MPLIEREM uenderem; nulla emptio, nulla uenditio intelligitur: quia ne de GENERE quidem inter nos conuenit. Sed, „si ego me VIRGINEM emere putarem, cum esset iam MPLIER, ait VLFIANVS, valere empionem: quia in sexu non erratum, L. XI. §. 1. D. de Contr. Empt. seu, quod idem est, quia sufficit, de GENERE nos consentire; quamvis de SPECIEBV. GENERIS in partes diuerlas abeamus. IVLIANVS igitur recte, si alter DONANDI animo dederit, tu QVASI MVTVM acceperis, transferri dominium, respondit; quia quamvis in SPECIE DISSENSERINT, tamen in GENVS quoddam liberalitatis contrahentes CONSENSERVNT.

X QVID

QVID INTER IVLIANVM ET VLPIANVM CONTRO-  
VERSIAE SIT, EXPLICATVR

HAEC tractata sunt, ut quid inter IVLIANI, atque VLPIANI sententiam interstet discriminis, intelligatur. DVARENVS, nullam esse inter illos controuersiam, iudicat: alterum de dissensu EX ERRORE, alterum de DISSENSV, cuius uterque sibi sit conscius, & quem DESTINATVM appellare quis possit, disputare.<sup>a)</sup> Sed illustris JCtus studio pacis nimium indulxit: & non attendit, IVLIANVM de his, qui CREDERENT, & EXISTIMARENT, se ex alia caussa dare, atque accipere; VLPIANVM de illis, qui ALIA OPINIONE, ac datum esset, acceperint, in Lege adducta respondere. Quae utriusque uerba, nullam, nisi ERRORIS, interpretationem recipere uidentur. Igitur, non de DISSENSV illorum, qui pugnant inuicem atque CONTRADI-  
CVNT; sed de ERRORE, qui prohibet CONSENSVM, quamuis item ab initio non pariat, inter utrumque JCtum discepatur. CVIACIVS<sup>b)</sup> ad duo capita retulit, IVLIANI, atque VLPIANI disputationem. Primo IVLIANVM scribere, teste VLPIANO: si alter animo donandi tradiderit, alter quasi mutuum acceperit, donationem non uideri. Contra, largiri quidem VLPIANVM: quod AB INITIO non fit donatio; sed existimare, quod DONATIO EXCEPTIONE DOLI MALI CONVALESCAT. Habes primum caput controuersiae tractatae. Deinceps IVLIANVM disputatione: quod mutuum contraetum, & dominium translatum sit; quamuis alter alia mente, ac datum fuerat, accepisset. VLPIANI uero sententia: nec MVTUVM esse; magisque nummos non fieri accipientis. Falso. Tacet IVLIANVS

a) DVAR. in C. Si cert. pet.

b) CVIAC. ad Dig. 1. c.

\* \* \* \* \*

de MVTVO: quod etiam CVIACIVS agnoscit; & se tamen AVDACTER AFFIRMARE, profitetur: quod IVLIANVS crediderit, esse MVTVVM contractum. Neque SCHILTERVS multum a CVIACIO discedit; sed neutrum JCTum dubitare, credit, quod accipiens CONDICTIÖNE PERSONALI teneatur. De REI VINDICATIONE duntaxat nummis extantibus VLPIANVM cum IVLIANO controversiam, atque dissensionem, exercere. AVDACTER certe MAGNVS CVIACIVS definitissime modum controversiae uidetur. Enim uero res tota fere ita accipienda est: IVLIANVS ait, quamuis in caussis dandi, atque accipiendi dissenserint, tamen translatum dominium uideri: quia utriusque sententia generatim, in contrahendum negotium gratuitum, concurrat: Et consensum in idem genus negotii sufficere, ut proprietas transeat; quamuis de caussis specialibus non conueniat inter contrahentes. Ita enim sensisse IVLIANVM, subiectae ab ipso species uidentur comprobare. De MVTVO nihil adiecit IVLIANVS. Et quamuis, DONATIONEM non esse, scripserit; hoc tamen ita intelligendum est, ut ab initio DONATIO, VTRINQUE EXPRESSA, non esse uideatur IVLIANO: Sed statim tamen negotium ex CONSENSV TACITO, & probabili, quasi donationem iudicat ualere. Hinc neque reali, neque personali, actioni locum esse. Habes mentem IVLIANI. VLPIANVS contra censet: non transisse dominium; quia alia opinione res accepta, ac tradita fuisset: adeoque nec donationem, nec mutuum, contrahi DISSENSV potuisse: Nummis extantibus teneri accipientem REI VINDICATIONE; consumptis, CONDICTIÖNE SINE CAVSSA: Sed propter aequitatem, ne actori suum factum impugnare liceat; condicentem EXCEPTIONE DOLI submoueri: & donationem, quae secundum IVRIS SVBTLITATEM non ualebat, EXCEPTIONE sustineri

## XI

IVLIANI SENTENTIA PRAEFERTVR, PROBATVRQUE  
TRANSLATVM ESSE DOMINIVM, ET MVTVVM  
ESSE SPECIEM DONATIONIS

EXPLICATA, & disposita, est acies utrinque: super-  
est, ut concurramus. Nos quidem sub IVLIANO milita-  
bimus: & primo ex illa parte uincemus, credo, qua IVLIANVS,  
DOMINIVM TRANSFERRI, & efficacem esse  
traditionem, uoluit. Nihil enim IAVOLENVS, atque POM-  
PONIVS, morantur, postulantes: ut in transferendis domi-  
niis maxime, VOLVNTAS EADEM ex utraque parte con-  
trahientium concurrat. Sed probatum est: sufficere, si in  
IDEM negotiorum GENVS inter nos consentiamus. Et au-  
sum affirmare, MVTVVM esse SPECIEM DONATIONIS.  
Ita enim SENECA<sup>a)</sup> praecepit: „Quemadmodum, inquit,  
„ei, qui uoluit mihi PECVNIAM CREDERE, sed non CRE-  
„DIDIT, nihil debeo; ita ei, qui uoluit mihi BENEFICIVM  
„DARE, sed non potuit, amicus quidem ero, sed non obli-  
„gatus. Et uolam ipsi aliiquid praestare, nam & ille uoluit  
„mihi: ceterum, si benigniore fortuna usus, praestitero;  
„beneficium dedero, non gratiam retulero. Ille mihi gra-  
„tiam debet referre; huic initium a me fiet numerandi.  
Ergo & MVTVVM BENEFICII appellatione continetur.  
Sed luculentius PAPINIANVS L. XXIX. pr. D. de Donat.  
& L. LXXXII. D. de R. J. „DONARI, inquit, VIDETVR,  
„QVOD NVLLO IVRE COGENTE CONCEDITVR. Ergo  
& MVTVVM DONATIONIS naturam induit, quam, libe-  
ralitatis exercendae gratia, nummorum meorum ysvs tibi  
GRATIS concedatur. Neque impedimento est, quod tan-  
tundem in MVTVO, cum dies uenerit, reddere iuberis.  
Nam & hoc BENEFICII LOCO accipis, quod meos num-  
mos

<sup>a)</sup> SENECA. Lib. VI. de Benef. Cap. XI.



MOS INTERIM tuos faciam: & foenus non exerceam, quod  
 ex mea pecunia ad me redire potuisset. Illud enim fere  
 POMPONIVS L.IX. pr. D. de Donat. indicat: qui, in aedi-  
 bus, inquit, alienis habitare GRATIS, DONATIO uide-  
 tur: id enim ipsum capere uidetur, quod mercedem pro  
 habitatione non soluit. Potest enim, & CITRA CORPO-  
 RIS DONATIONEM, ualere DONATIO. Veluti, si  
 DONATIONIS CAVSSA cum debitore meo pacifcar, ne  
 ante certum tempus ab eo petam. Et, si non fundum, sed  
 fructus perceptionem, tibi donem, fructus percepri ue-  
 nient in DONATIONIS computationem. Hactenus POM-  
 PONIVS respondit. Imo uere nec VLPIANVS hac parte  
 resistere poterit, qui L. XVIII. §. 1. D. de Donat. „si ser-  
 uum, inquit, tibi tradidero, ad hoc, ut eum manumitras  
 post quinquennium; non ante quinquennium agi poterit:  
 quia uidetur ALIQUA DONATIO INESSE. Habet igitur  
 DONATIONEM, cuius natura absolvitur, si aliquid GRA-  
 TIS concedatur; quamuis reddi debeat aliquando, quod  
 datum est: & usu finito locus sit exactioni. Neque multum  
 nos IULIANVS perturbabit, qui, L. I. §. 1. D. de Donat.  
 „per DONATIONEM factum demonstrari, docet, quod ab  
 eo proficiscatur, qui liberalitatis exercendae gratia, det  
 aliquid, ut confessim faciat accipientis: NEC VLLO VN-  
 QVAM FACTO AD SE REVERTI VELIT. De DONA-  
 TIONE enim eximia, seu PROPRIA, agit illo loco IULIA-  
 NVS: & statim subiicit: posse donationem fieri, quae sub  
 CONDITIONE, etiam TEMPORIS, solvatur. Praeterea  
 certe VSVM illius temporis, quo mutuum durauit, nullo  
 unquam facto ad se reuerti uoluit ille, qui rem tradidit:  
 neque id, quod interest, nisi foenore ponat pecuniam,  
 praestari. Sed non uideris assentiri de dominio translato:  
 quia, quamuis de LIBERALITATE EXERCENDA contra-  
 hentes consenserint; illos tamen in hanc beneficii speciem,  
 quam

\* \* \* \*

quam MVTVV M solemus appellare, & quam accipiens animo propositam habebat, consensisse pernegabis. Primo quidem, non opus est, ut in eandem CAVSSAM SPECIALEM utriusque sententia concurrat; sed uel GENERALEM TITVLUM sufficere, ut proprietas transire uideatur, respondemus: quod a nobis supra demonstratum est. Sed, si perseueras, eximam tibi hunc scrupulum: &, tradentem quodammodo etiam in MVTVV M consensisse, affirmabo. Enimuero tradens etiam PLVS VOLEBAT: etiam IRRE-VOCABILITER, quod dicunt JCti, pecuniam transferre; cum tu dominium peteres, ex quo translato tantudem aliquando restituere uolebas. Sed audiamus PAVLLVM L.CX. pr. D. de R. I. qui IN EO, QVOD PLVS EST, SEMPER ET MINVS INESSE, arbitratur; atque alio loco: qui putat, se decem dare iussum, cum quinque iussus sit: si decem dederit, heredem fieri censeret adeundo, L. LXXIV. pr. D. de A. uel O. Her. Ergo, qui decem dederat, etiam quinque dedisse uidebatur. Certe ira etiam POMPONIUS L.LII. D. Locati, respondet: „&, si ego, inquit, MINORIS me locare sensero, tu PLVRIS te conducere: utique non pluris erit conductio, quam quanti ego putauero. Et habet illud rationem, quod conductor, qui etiam in maiorem mercedem consenserat, potius illud minus, quod locator postulauerat, probaturus uideatur. Non igitur cogitari ratio idonea poterit, aut animo effungi, ex qua quis numeros mutuos concedere negaret, quos etiam donare uoluisseſſet.

## XII

QVASI DONATIONEM HOC LOCO VALERE, QVOD QVASI MVTVV M ACCEPTVM EST, OSTENDITVR

HABES igitur primum argumentum, ex quo translatum esse in proposita specie dominium intelligatur. Neque tamen facile me adduci patiar, ut MVTVV M duntaxat esse,

F 2

quod

\* \* \* \* \*

quod D<sup>O</sup>NANDI animo traditum, & Q<sup>U</sup>ASI M<sup>U</sup>T<sup>V</sup>VM acceptum est, existimem; quamvis illud magnis & illustribus J<sup>C</sup>ts<sup>o</sup> omnino verius esse videatur. Quapropter, an non magis sit D<sup>O</sup>NATI<sup>O</sup>? dispiciamus; quamvis, si uel omnia alia deficiant, etiam Q<sup>U</sup>ASI M<sup>U</sup>T<sup>V</sup>VM sustineatur. Et credo, donationem esse, quod gestum est inter contrahentes. Enim uero accipiens M<sup>U</sup>T<sup>V</sup>VM rogauit, aliquando, cum dies uenerit, tantudem redditurus. D<sup>O</sup>NATOR non negauit: Sed illud, quod tradebat, REDDI NOLVIT; debitorem CONFESTIM LIBERAVIT, debitum remisit. Finge, accipientem noluisse rem D<sup>O</sup>NARI. Certe D<sup>O</sup>NATI<sup>O</sup> ualebit. Possimus enim, si POMPONIO L. XXIII. D. de Solut. obtemperamus, etiam INVITI, atque IGNORANTES, LIBERARI; cum docente GAI<sup>O</sup> L. LIII. D. de R. I. „Iure ciuili constitutum sit, ut liceat etiam IGNORANTIS, „atque INVITI, MELIOREM FACERE CONDITIONEM. Ex eadem cauſa VLFIANVS, posse nos, etiam INVITO debitore, PECVNIA M<sup>U</sup>T<sup>V</sup>VM CONSTITVERE L. XXVII. D. de Conſtit. Pec. respondit. M<sup>U</sup>T<sup>V</sup>VM igitur quod accepisti, sed D<sup>O</sup>NANDI animo a creditore traditum est; te LIBERATO, quasi D<sup>O</sup>NATI<sup>O</sup> ualebit. Non multo secus enim HERMOGENIANVS L. VI. D. pro Donat. D<sup>O</sup>NATIONIS, inquir, cauſa, facta uenditione, non pro EMPTORE, sed pro DONATO, res tradita uſcupietur. Imo uero, ne putes aliud in VSVCAPIONE, aliud in TRANSFERENDO D<sup>O</sup>MINIO, seruari; audiamus VLFIANVM, qui L. XXXVI. D. de Contr. Empt. „Cum in uenditione; inquir, „quis pretium rei ponit, D<sup>O</sup>NATIONIS CAVSSA NON „EXACTVR<sup>S</sup>; non uidetur uendere. Sed D<sup>O</sup>NARE tamen certe censebitur; nisi forte, quod in fraudem legis uenditionem simulauerit, intelligatur. Tunc enim demum, supponimus, quod minime siccus adiquam n. docente  
 a) C<sup>V</sup>LAC. ad Lib. XII. Dig. Tit. I. L. 18. Edit. Fahrotti T. III. p. 711. Illustr. Dr. DE BERGER. OCON. Iur. II. 18. n. 3.

docente PAVLLO L. LV. D. eod. t. nuda & imaginaria uen-  
ditio pro non facta accipienda est

## XIII

VTRVM ACCIPIENS QVASI MVTVM, ACCEPTASSE  
DONATIONEM VIDEATVR

SED ne quidem opus est, ut ad DEBITI REMISSIO-  
NEM decurramus. Puto enim, uel ex aliis caussis DONA-  
TIONEM ualuisse. Enim uero, remotis ambagibus, & re-  
pagulis, quibus LEX CINCIA maxime, & CIVILIS Iuris-  
prudentia, liberalitatem infirmabat; IYSTINIANVS, sim-  
plicitati naturae obsecutus, „uoluntatem domini, rem suam  
„transferre uolentis, ratam haberi uoluit, & rei a domino  
traditae proprietatem transire in accipientem, §. 40. I. de R.D.  
& L. XXXV. C. de Donat. Ne ueteres quidem ab illa sen-  
tencia abhorrerunt; sed CONSILIO DONANTIS maxime  
perfici donationem crediderunt. Nam eius, quod CON-  
SULTO datum est, DONATIO uidetur, si PAVELVM  
L. LIIF. D. de R. I. audiamus. Non quidem autem affir-  
mare, quod ANTONIO FABRO<sup>a)</sup> & Perillustri Do. PETRO  
A LVEDWIG<sup>b)</sup> in mentem uenit: DONATIONEM, ETIAM  
SINE ACCEPTATIONE, SOLA DONATORIS VOLUNTATE  
CONTINERI. Docet enim natura AGNOSCENDAM esse  
liberalitatem illius, qui nobis beneficium tribuit: animique  
grati significationem ab illis edendam, qui aliorum beneu-  
lentia ornantur. Praeterea Lex LV. D. de O. & A. DONA-  
TIONEM CONSENSU PERFICIENDAM ESSE, praecipit:  
quam legem Constitutione IYSTINIANI correctoria, &  
STRICTE INTERPRETANDA, abrogatain esse, non pu-  
tamus. Illud certe Illustris GVDLINGIVS<sup>c)</sup> insigni com-


F 3

men-

<sup>a)</sup> FABR. Error. Pragmat. Dec. 47. I. n. II.

<sup>b)</sup> Perill. Do. PETER A LVEDWIG de Donationi. & barbari ad-  
nexus, acceptratione

<sup>c)</sup> GVDLINGIAN. P. XXIX. p. 327



mentatione comprobauit. EXPRESSA tamen, & SOLENNI,  
 ACCEPTATIONE opus fuisse, non existimo: sed PRAE-  
 SVMPTIONEM, quam dicunt, ACCEPTATIONIS, & pro-  
 babilem coniecturam, de accipientis CONSENSV suffecisse,  
 ad negotium perficiendum, & naturae leges indicant, &  
 ciuilia praecepta. Enim uero, uiri ridiculum uidetur: si  
 taceas confestim, quod pueri faciunt: si auertas uultum, &  
 toruum uideas, cum liberalitas in te confertur: si uocem  
 non emittras, magis mutus, quam piscis; ita certe barba-  
 rum, atque incultum est, ubi DONANDI animo aliquid  
 traditur, continuo illud solemne: ACCEPTO, ACCIPIO;  
 sonare: quasi tacta auricula donatorem, ne discedat a con-  
 silio, ne donationis, iam perfectae, memoriam deponat,  
 admonere: hominisque parum humani, parum modesti,  
 speciem induere: ab illo, cui referre gratiam debebas, be-  
 neficium, sponte concessum, confestim cum uociferatione  
 flagitare. Sed satis est, ad hominis grati officium tuendum:  
 Si te indigere opis alienae, quam petebas, uel certe gau-  
 dere de donatoris benevolentia, ex VERBIS expressis, aut  
 ALIIS conieeturis, & indiciis, intelligatur. Quod qui pa-  
 rum esse ad liberalitatem adquirendam credunt, nae! illi  
 modestiae poenas constituunt, rusticitatem suadent, leges  
 humanitatis euertunt. Ex CONIECTVRIS igitur de tuo  
 consensu constet, necesse est, priusquam res donata adqui-  
 ratur. At uero, ut nemo suum temere iactare creditur;  
 ita probabile est ad fidem: gratum fore accipientibus, si  
 beneficium adquirant; nisi signis illud expressis repudient,  
 atque auersentur. Paucitas enim, & raritas, cauissarum,  
 quae impedimento sunt, ne oblatum beneficium accipia-  
 mus, efficit, ut neminem repudiare beneficium, nisi illud  
 luculentius indicet, existimemus. Ita certe de liberis, qui  
 in potestate sunt, DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS AA.  
 L. XVIII. C. de Famil. Hercisc. rescriperunt: „Filiae,  
 „cuius

\* \* \* \*

„cuius nomine res pater comparauit, si non postea mu-  
„tasse iudicium probetur, per arbitrium hereditatis diui-  
„nduae praecipuas adjudicari, ut sola patris expressa, filiae  
**PRAESUMPTA, VOLUNTATE** beneficium perficiatur.  
Quod ALEXANDER L. II. C. Si quis alt. uel sib. etiam in  
extraneis probauit. „Nam, si emancipatis uobis fundos,  
„quos nomine uestro, cum in potestate ageretis, pater  
„emerat, tradidit; uel in possessione eorum, voluntate pa-  
„tris fuisse; dominium adquisiuitis. Neque DIOCLETIA-  
NVS & MAXIMIANVS L. VI. C. de Donat. ambigunt:  
„Etiam inter absentes, & maxime, si ex uoluntate donar-  
„tium possessionem, nanciscantur illi, quibus donatum est,  
„esse ualidas donationes. Obluctatus enim, si non con-  
sentiret, aut quod acceperat, redditurus uidebatur. Quia  
de cauſa VLPIANVS L. XVI. D. de Donat. Etiam ex hac  
scriptura: SCIANT HERedes MEI, ME VESTIMENTA  
MEA LIBERTIS VIVVM DONAVISSE: dominium ad liber-  
tos credit benigna interpretatione pertinere: quia & illi  
consensisse in donationem patroni censebantur. Quod ad-  
duxit CARPZOVIVM, ut DONATIONEM PER EPISTO-  
LAM etiam sine acceptatione subsistere, doceret: <sup>a)</sup> AN-  
GELVS, <sup>b)</sup> cum JCtorum grege non exiguo, si praesens  
NON CONTRADICAT, qui rem accipit, uel, si etiam do-  
naorem ROGAVERIT, ut rei in se dominium transferret;  
quia luculenta sit uoluntatis significatio, atque inde colliga-  
tur consensus: illum SINE ACCEPTATIONE rem dona-  
tam sibi adquirere, putauit. Ex quibus cauſis ille, qui  
rem donatam, quasi mutuam accepit, cum antea mutuum  
ROGAVERIT, sequitur indigere pecuniae alienae indicauerit,  
probabili coniectura iudicatur ab initio consensurus fuisse in  
donationem. Imo uero, quamuis ab initio NESCIAT, rem,

quae

<sup>a)</sup> CARPZ. Constit. II. 12. Def. XXI. n. 4. & 5. a LUDWIG l. c.  
pag. 30.      <sup>b)</sup> Conf. 183.



quae apud se est, sibi donatam esse, illoque casu PAVLLVS  
 L. X. D. de Donat. DOMINIVM NON TRANSIRE, doceat;  
 tamen cum dominium ex traditione, & consensu in genera-  
 lem caussam, adquisuerit, quod supra demonstratum est:  
 & postea cognito donatoris animo donandi, rem retineat,  
 neque id, quod quasi mutuum sibi tradi crediderat, reddat  
 donatori; de CONSENSV eius, atque ACCEPTATIONE,  
 dubitari non poterit; sed donatio iam perfecta conualecet.  
 Non multum SCHILTERVS nos moratur, qui EX  
 POSTFACTO non conualescere, quae ab initio utilia sint,  
 monebat. Haec enim iuris regula, quam ex L. CGX. D.  
 de R. L. repetit, de INSTITVTIONE HEREDVM INVTI-  
 LI, & de testamentis, praecipit, quorum formula SOLEN-  
 NIBVS regulis, & CERTIS, definitur. Haec talia, si ab  
 initio uitiola sunt; ex post facto non sanantur. Sed SOLEN-  
 NEM ACCEPTATIONEM donationis nunquam desidera-  
 runt ciuilia praecepta. DONATIO enim NVDO CONSENSV  
 continetur: qui, si etiam postea accedat, negotium, antea  
 invalidum, confirmat. „Vti enim pater, L. XXXI. §. 2.  
 „D. de Donat. qui filiae, quam habuit in potestate, manci-  
 „pia donavit, & peculum emancipatae non ademit, ex post  
 „facto donationem uidetur perfecisse: ita etiam ille, qui rem  
 donatam, antea quasi mutuam accepit, postea donatam esse  
 intellexit, nec reddidit, sed in sua commoda conuerit; EX  
 POST FACTO censeretur donationem ACCEPTASSE, &  
 liberale negotium suo consensu perfecisse. Res tota dispu-  
 tatione non indiget. Enim uero, si absenti per epistolam  
 donabis, non poterit ille, nisi ex post facto, consentire: sed  
 ualere tamen DONATIONEM, Imperatores rescriperunt. Quod  
 si igitur postea consentias, negotium ualuisse AB INITIO cen-  
 setur. Luculenter enim id POMRONIVS L. XVI. D. de Solut.  
 affirmat. „Sub conditione, inquit, si acceptum feratur;  
 „postea conditione existente, intelligitur iam olim liberatus

\* \* \* \*

## X IIII


QVID INTER INVITVM, ET NON VOLENTEM,  
DISCRIMINIS INTERSIT

SED PAVLLVS, atque VLPIANVS, obloquuntur, qui  
L. LXIX. D. de R. I. & L. XIX. §. 2. D. de Donat. INVITO  
BENEFICIVM NON DARI, neque LIBERALITATEM  
NOLENTIBVS ADQVIRI, tradiderunt. Vix tamen est,  
quod illa nos disputatio a sententia abducat. Quamvis e-  
nim ignorans, & inuitus, nemo donare videatur: in quam  
sententiam DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS AA.  
L. X. C. de Donat. rescriperunt: nec ERRANS quisquam  
rem suam amittere dicatur: quod VLPIANVS L. XXXV.  
D. de A.R.D. docuit: ideoque etiam ille, cui res donata est,  
eodem iure censendus sit, & ne ipsi quidem obliquantि li-  
beralitas, & beneficium, obrudi possit; tamen superest  
nonnihil praesidiij, quod illum, qui rem donatam, quasi  
mutuam, acceperat, defendet. Primo enim caueas, sua-  
serim, ne continuo illum, qui PER ERROREM NON CON-  
SENSIT, omnino NOLLE & INVITVM accipere rem do-  
natam, arbitreris. VLPIANVS L. III. D. de R. I. „eius est  
„NOLLE, inquit, qui potest VELLE: ut intelligatur, non  
omnes illos NOLLE, qui per errorem, & ignorantiam, re-  
non perspecta, ne VELINT, & CONSENTIANT, impe-  
diuntur. Cum cura enim CELSVS L. CLXXXIX. D. de R. I.  
haec seiungit: & pupillum, quamuis VELLE, nisi tutoris  
auctoritate interposita, dici non possit, tamen NEC NOL-  
LE, sed NON VELLE duxaxat, arbitratur.“) Finge igitur,  
non consensisse per errorem, non VOLVISSE rem donari,  
qui illam, quasi mutuam accepit; tamen nec NOLVISSE  
dicendus est, aut repudiasse rem donatam. Deinde si pro-  
babili conjectura, consensurum esse alterum, ex rerum ar-  
gumentis colligamus; illum, qui NON CONTRADICIT,  
CONSENSISSE arbitramur. IULIANVS certe L. II. §. 2.

G

D. So-

a) CVIAC. Obs. XXIII. Lib. XV.



*D. Solut. Matr. filiam, nisi evidenter contradicat, consentire patri censuit; dum de dote experitur: Et, si furiosam filiam habeat, QVASI EX VOLUNTATE FILIAE, videri patrem experiri; cum, ubi non potest per dementiam CONTRADICERE, CONSENTIRE illa merito credatur. Et, quamvis, si sapiat, scire illam, quid geratur, exigamus; tamen ille, qui rem donatam, quasi mutuam accepit, non solum priusquam nummi traderentur, mutuum rogauit, & generatim, se in liberalitatem consentire, ostendit; sed postea etiam, cum rem donandi animo traditam, reperta epistola, intellexisset; FACTIS uoluntatem, & consensum declarauit: rem donatam retinuit: quasi mutuam non reddit: gratam sibi esse donationem, atque acceptam, indicauit. Ut adeo non solum, non contradixisse, nec PRAESUMPTO duntaxat, nec GENERALI tantum, sed VERO, & SPECIALI, quamvis TACITO, & factis declarato, CONSENSU rem donatam acceptasse uidearur. Voluntatem enim etiam FACTIS declarari, illaque perfici negotia, quae nudo consensu continentur, VLPIANVS L. XIII. D. Locat. comprobauit: „qui ad certum tempus, inquit, conduxerat, finito quoque tempore colonus est. Intelligitur enim dominus, cum colonum in fundo esse partitur, ex integro locare: & eiusmodi contractus neque VERBA, neque SCRIPTVRAM utique desiderant, sed nudo consensu conualescunt. Praeterea IULIANVS L. XII. D. de Reb. dub. generatim in omnibus negotiis, si res ambigua esse uideatur, id magis accipiendo esse docuit, quo res ualeat, quam pereat, & distrahatur*

## XV

MAIOREM DANTIS, QVAM ACCIPIENTIS, HABENDAM  
ESSE RATIONEM, OSTENDITVR  
DENIQUE & illis respondeamus, necesse est, qui in transferendis dominis, si de CAVSSIS inter nos dissentimus, OPINIONEM ACCIPIENTIS potius, quam DANTIS sequen-


\* \* \* \*

51

sequendam esse: & in hac specie, quam tractamus, rem non tam DONATAM, quam ex sententia accipientis, MVTVAM uideri, arbitrantur. Sed huic disputationi uarie poterit occurri. Primo enim oppido falsum est, in transferendis dominiis, si res dubia fuerit, maiorem ACCIPIENTIS, quam DOMINI TRADENTIS, habendam esse rationem. Audiamus VLPIANVM L. XIII. D. de Donat. praecipientem: „Si dominus, quod mihi donatum uoluit, seruo communis tradidisset: ille quasi socio adquisitus accepisset; non ex mente serui ACCIPIENTIS aestimari negotium; sed mihi, ex uoluntate DOMINI TRADENTIS, rem adquiri. Nam et si, inquit, procuratori meo hoc animo rem tradiderit, ut mihi adquirat, ille, quasi sibi adquisitus, acceperit, nihil agit in sua persona. Enim uero in aliis negotiis, in quibus dominus liberalior est illo, qui rem accepit, idem obseruat, ut magis VOLUNTATI DOMINI, quam ACCIPIENTIS obsequiamur. Hinc etiam POMPONIVS L. LII. D. Locat. respondebat: „Si ego minoris me locare senserim, tu pluris te conducere; utique non pluris futuram conductionem, quam quanti dominus putasset. Hoc enim naturae conuenit, liberalitatis modum DOMINI ARBITRIO constitui potius, quam ACCIPIENTIS uoluntate definiri, in iusto domino, & in damnata incurrente, si accipientis uoluntati obtemperare teneatur.

## XVI

TOTIVS CONTROVERSIAE RATIONES SVBDVCNTVR  
Ex his igitur rebus, quae hactenus disputatae sunt, illud intelligitur: dominium murorum, ad illum, qui quasi mutuos accepit, transisse; Quia in eandem CAVSAM GENERALEM, & IDONEAM, uterque contrahentium consensit: Imo dici posse, quod donator etiam in mutuum consenserit; Cum, qui plus concedat, etiam in minus consenserit uideatur: Sed illum, qui rem, quasi muruam accepit, uoluntate domini, qui donandi animo, non exacturus, derat,



derat, CONFESTIM LIBERARI, si uel non consentiat; Cum possimus, etiam inuitum atque ignorantem liberare: Sed magis IVRE DONATIONIS PERFECTAE negotium ualere; cum, qui rem donatam, quasi mutuam accepit, sed postea, donatam esse, intellexit; non solum generatim probabili coniectura etiam in donationem consensurus fuisse uidetur: Sed & postea factis declarauerit, se liberalitatem donantis agnoscere, & beneficium concessum acceptare. Quae uoluntatis significatio, negotia, quae nudo consensu contrahuntur, ita perficit, ut, quamvis ille consensus tacitus ex postfacto accesserit, tamen negorium ab initio valuisse censeatur. Quapropter, neque Rei Vindicationi, neque Condictio[n]i Certi ex Mutuo, neque Condictio[n]i sine Caussa, locus est; Sed istam Exceptio[n] Rei donatae & Dominii translati, illam Donationes, uel, si mauis, Liberationis, & Remissionis, hanc demum Dominii, & Donationis, & Consensus interpositi, prohibent & dissoluunt. Commenta, quibus multi rem implicatam expedire laborarunt, uix operae pretium est, ut longa disputatione infirmemus. Nam ne illa quidem, quae CYRILLVS, STEPHANVS, ENANTIOPHANES, aliquie Βασιλεῶν interpretes,<sup>a)</sup> ad rem sanandam, attulerunt, quamvis speciosius dicta sint, multum negotii legentibus faceſſunt; sed facili ratiocinatione diluuntur. Illud ferri non potest, quod NICAEV<sup>b)</sup> VLPIANVM de subtili iure disputare, IVLIANYM contra VLPIANO non contradicere, sed benignam tantum legis interpretationem ex aequitate adferre, arbitratur. IVLIANVS enim non sela INTERPRETANTIVM BENIGNITATE, sed STRICTO etiam IVRE, dominium translatum esse, censuit. Quod ex uerbis: NON ANIMADVERTO, constat, & tota diputatione IVLIANI, facile cognoscis

<sup>a)</sup> LL. Βασιλεῶν Tom. III. Edit. Fabrott. pag. 274. seqq.  
<sup>b)</sup> L. c. pag. 275. Lit. D.




Wittenberg, Diss., 1731  
X 237 1957

VD 18

ULB Halle  
007 506 007

3





### Farbkarte #13



OBSERVATIONES  
DE  
**PROPRIETATE  
REI DONATAE**  
AD EVM QVI QVASI MVTVAM ACCEPIT  
TRANSEVNTE

AD L·XVIII·D· DE R· C· ET L·XXXVI·D· DE A· R· D

QVAS  
PRAE SIDE  
**CHRISTOPH·LVDOVICO CRELLIO**  
I·V·D· IVRIS NAT· ET GENTIVM ITEMQVE POET  
PROF· PVBL· ORDINARIO  
IN AUDITORIO· ICTORVM  
DEFENDET  
**GOTTLOB HENRICVS KVNTZEL**  
DRESDENSIS

VITEMBERGAE AD D<sup>o</sup> APRIL· A· Q· S· P· E<sup>o</sup> c<sup>o</sup> 1731  
OB ARGVMENTI RARITATEM ATQVE PRAESTANTIAM  
DENVO TYPIS EXPRESSA

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

1757